REX PLATONICVS:

SIVE,

DE POTENTISSIMI PRINCIPIS IACOBI BRITANNIARVM Regis, ad illustrissimam Academiam Oxoniensem, *adventu, Aug. 27.* An. 1605.

NARRATIO

AB ISAACO WAKE PVBLICO Academiæ ejusdem Oratore, *tunc temporis conscripta, nunc iterum in lucem edita, multis in locis auctior & emendatior.*

Editio Quarta.

OXONIÆ,
Excudebat Iohannes Lichfield *Academiæ Typographus,*
1627.

SERENISSIMO
PRINCIPI,

Ac Dòmino D.

HENRICO

REGNORVM BRITANNIÆ MAGNÆ, FRANCIÆ, ET HIBERNIÆ HÆREDI.

NON est (Excellentissime *Princeps Henrice*) eadem Lyceĳ lima atq; Fori, nõ idẽ eruditorũ atq; plebis judicium; horum sensus fortunę tuę splẽdore trahitur, illõrum mentes virtutum tuarũ luminib⁹ oblectãtur; ab vtrisq; (quantum ætatula tua ferat) felicissimus judicaris: ab alteris, quòd tanto parente, & ad tantã

ſpē fortunę natus ſis; ab alteris, quòd parente tali natus ſis, & ad taliū inſolentiū in Regibus virtutum ideam, & naturâ accōmodatus ſis, & diſciplinâ inſtitut°. Aliàs enim quātilli quęſo eſſet, quòd tali natus ſis, niſi & talis? Taliſq; vt ſis, quę vſpiā poſſunt eſſe pręſtātiora ſubſidia, quàm quibus ſuavitas Iuventæ tuæ ad omnem maturitatis perfectionē provocatur? pręſertim quum jā nō opus ſit *Philippo* noſtro lętari, quòd *Ariſtotelis* tēpore tu noſter nat° ſis *Alexander*, ſed tuæ Excellentiæ idē ſit & *Philippus*, & *Ariſtoteles*, Potentiſſim° Pater, & ſapientiſſimus pręceptor. Cujus ſive præceptis ad Regni, ſive exemplis ad tui ipſius moderationem cōformere, neceſſe eſt è tā mirabilis Magiſtri Schola mirabile quid, omniumq; amoribus digniſſimum evadas. Quinimo, qui indolem tuam non leviter perſpeximus quum

hic

hîc inter *Oxonienſium* Muſarũ alumnos cenſeri libenter paſſus ſis, cumq; in celeberrimo toti⁹ orbis conventu paternæ eruditioni exultabundus applaudere⁹, videmur nobis non tam optare debere, qualem te habere velimus, ſed jam habere qualem optarem⁹. Habebimus certè quidem, ſi prout prima fundamenta jacta ſunt, ita cetera eruditionis, pietatis, virtutumq; tuarum tecta (quibus ſolis tectus, tutùſq; eſſe poſſis) ſuperſtruantur, ſiq; Magni exemplaris beatis veſtigijs inſtiteris, cuius ego eruditionis veſtigia hic aliquot, non tam calamo adornare (quod non poſſim) quam (quod debeam) animo a[illegible]re ſtatui. Vereor tamen ne ſacros illos Tripodas profano calamo violârim, dúmque illam Regij eloqui, igneam vim atq; haud imitabile lumen exprimere auſim, *Salmonei* illius,

qui *Iovis haud imitabile fulmen* imitari voluit, flagitium admiserim. Cuius offensę formidine perculsus, quid aliud agerem, quàm vt cum *Themistocle*, qui *Admetum Persarum* Regis filium vlnis gestabat, vt facilius patris alienati animum molliret, Excellentiæ tuæ patrocinium manibus, precibusq; apprehendam; vt qui non ignorem plus momenti habere dilectum tuum nomen, ad gratiam consequendam, quàm libellum meum (si peccantem, amore tantùm peccantem) ad offensam commovendam? Quòd si ab ista Regis optimi offensione immunis esse possim, de reliquorum supercilijs securus ero, qui aut chartas has jam editas arrodendo, sorices agunt, aut, quia non citiùs editas reprehendunt. Verum vt vtrisq; illis partim satisfaciam, etiam jam citiùs editas esse fateor, quàm

quàm volui, vtpote quas non omninò editas esse malui, quam intempestiuè. Sed quum intelligerem non deesse ex eorum numero, quorum authoritati refragari lubens nolim, qui Commentationem hanc, (quam sesquianno ab hinc descripseram) ex cœca nocte, quâ sepultã latere volui, in lucem erutam pervellent, ne fortè quis alius, cui rei veritas minùs perspecta esse potuit, id ipsum aliquando auderet; statui tandem æstimationi potiùs meæ, quàm eorum votis deesse, præsertim quum nihil ipse in votis potiùs habeã, quàm vt æternæ *Iacobi* memoriæ (licèt indignus) aram ponerem, & *Henrici* spei Felicitatiq; votivam hanc tabulam consecrarem. *Oxoniæ*;

E Collegio Merton. 13. Cal. Iul.

Excellentiæ vestræ
devotissimus,

Servus
ISAACVS WAKE.

REX PLATONICVS, SIVE *MVSÆ REGNANTES.*

IT A sunt multorũ hominũ ingenia, vt nullũ satis dignum historiâ argumentum existiment, præter res bello gestas imperatorum & Rerum-publicarum; quibus terrarum domini credunt se æque propriè ad Maiestatem Diuinã accedere gloriâ, ac ab eâ recedunt longè bonitate. Quam eorum sententiam, si quis eâ comprobare velit ratione, quod armorum scilicet studiosus & virtutis bellicę admirator multum se delectari profiteatur cognatâ sibi virtute, rectiùs fortassis eius possit excusari effectus, quàm judicium probari. Nam vt in depingendo vultu, tum demum optimè facies exprimitur, cum sit ab omni per-

turbatione immunis; ita a Principum & Rerumpublicarum habitus mutò commodius ex rebus civilibus, quàm tumultuosis belli moribus colligûtur. Illæ autem narrationes dignissimę videntur, quę breui & succinctâ rerum memorabilium commemoratione, temporum etiam, & locorum conditionem, in quibus gestę sunt, ita ponant ob oculos, vt ex cognitione earum rerum quibus præsentes fruimur, aliqua aut vtilitas, aut oblectatio etiam ad absentes redundet. Cuius generis historiolam scripturus, de illo omnium sermonibus celebrato Quatriduo, quo *Potentissimus Jacobus Britanniarum Monarcha*, vna cum Regina ANNA Sereniſſimâ cõsorte, HENRICO Filio primogenito, Principe iuuentutis, & omni ferè totius regni Nobilitate *Oxoniæ* commorabatur, rem facturum me confido, hominibus pariter Trãsmarinis atq; nostris valde gratam. Illis quòd in orbis Christiani [a] præcipuis quatuor Academijs, quum *Oxonienſem* [b] secundum locum obtinere sciant, nec tamen eam perinde forsan habeant notam, ac Parisios (splendidam illam *Oxoniæ* propaginem) aut Salamantinam, & Bononiam in Continente sitas; verisimile omnino

a Ex Decret. Conc. Vien. ann. 1311. Et Epigraph. in Vatican. His verbis. Heb. Chald. Arab. Græc. Linguæ ſtudium propagandæ fidei ergo in nobiliſſimis 4 Europæ Acad. inſtituitur. Vide Ang. Roch. p. 214.

b Clement de Magiſtris Pariſ. Oxon. Bonon. Salamant. Vniverſitas Oxon. Schol. Eccleſiæ ſecunda, imò Eccleſiæ fundamentum Mat. Pariſ. ad. an. 1257.

omnino sit, etiam huius rationem, consuetudines, adeòq; statum omnem non illubenter cognituros. His, quòd quæ secundissimo tumore delata acceperunt, ea certiùs intelligere cupiunt, vtpote quibus nihil possit esse iucundius, quam vt intelligant, quantę ipsi participes sint felicitatis, quòd Rege, vt omnium optimo sanctissimoq; ita eruditissimo, sapientissimóq; fruuntur.

Et à primo quidem in Regnum hoc adventu ardor quidam *Maiestatem Regiam* habebat nostrum hoc [c] *Bellositum* videndi, de quo fama (*quæ non semper errat sed aliquando eligit*) præclara multa ac splendida iam multò antè nuntiaverat. Sed & maiora fuerunt Imperii tum recentis negotia, quàm quæ primá Æstate Illum huic oblectamento vacare sinerent, & ingens etiam, peste passim grassante trepidatio, quæ triumphos omnes intempestivos reddidit: *Woodstochiæ* tamen eo ipso tempore per Eximium virum D. *Georgium Abbot* eo anno procancellarium, Doctoresq; Venerabiles aliquot, & Procuratores, Academiæ nomine salutatus, & sacris Biblijs tanquam amoris maximi exigno donatus indicio (quamquam quod isto vnquam maius donum humano

c *Illud olim Oxoniæ nomen ob situs amœnitatem Hist. Oxon. Ptolomæo Caleua dicta, eodem planè sensu vnde multi Oxonienses calevij dicti vt balænus de Calevovate qui vixit sub Arvirago circa ann. 40 à Christo passo: & Gualterus Calevius Oxoniensis Archidiaconus postea Episcopus Exon ann. 1120 & alij.*

mano generi datum est ab immortali deo?) tantâ eos omnes accepit voluptate, clementiâ, benignitate, vt accenderit in nobis desiderium vlterius testandi devotissimas illi nostras voluntates, cui amoris & Pietatis prima hæc officia tam grata fuisse comperissemus sequenti anno propiùs adhuc accessit, adeóq; ipsa Ciuitatis nostræ Suburbia, nullo tamen
1604 interpellatus gratulationis officio, pertranssit. Quid enim? etsi diuinâ benignitate Academia semper ita intacta, vt studiosorum nemo quisquam pestilenti afflatu decubuerit, intùs tamen inter Ciues adhuc manserant reliquiæ luis virulentæ sic vt Regi salutem coram precari non potuerimus sine salutis suæ periculo, nec esse pij sine impietate. Quamobrem consulto ab eius conspectu, nobis præ omnibus optatissimo, abstinuimus, ne importuna amoris testificatio, eo tempore, majus odio scelus videretur intraq; eos religiosè nos continuimus parietes qui ipsi quidé Regi obuiam prodire quodammodo gestiebant. Nostrum autem dolorem maximum adaugebat Sereniſſimi Regis conspicuum intrandi, (si turò potuisset) desiderium, qui & in transitu, multa de Academia, de Collegijs multa rogitabat

tabat, & a Colle ad orientalem ferè plaga Ciuitatis sito, quingentis ab vrbe passibus tanquam ad delicias suas a tergo relictas crebrò solicitéq; respexit, & oculo amorem indicavit 1605
Feliciores autem fuere isti, qui nobis æstate sequenti illuxerunt dies, in quibus ingratus ille hospes, qui diu intra mœnia sævierat, Hospitem, que multò gratissimum excluserat divinâ providentiâ pulsus exulauit, nullâ contagionis scintillulâ remanente. Postquam ergò propitâ Numinis benignitate pristina civibus salus, aeri salubritas, cœlo & solo nostro amœnitas restituta fuerat, Regiq; post pacem cum vniverso Orbe Christiano felicissimè sanctam, aliquod à grandioribus Regni negotijs otium concessum, nihil videbatur desiderari, quo minùs & serenissima Maiestas desiderij sui, & Academici omnes votorum sæpius antehac ardentissimè nuncupatorum tandem aliquando essent compotes. Quibus rebus ita suavitèr conspirantibus, ab illustrissimo Satrapâ *Sackvillio, Comite Dorcetensi*, eodemq; & Archithesaurario Regni & Regi à Sacris Concilijs, & Magnifico Cancellario nostro, (qui supremus est Academiæ perpetuisq; Magistratus) Regiam

am Maiestatem brevi adfuturam literis præmonemur, quibus etiam vnanimem omnium curam, & diligentiam in apparandis omnibus, quæ tantę Maiestati excipiendę opportuna censerentur, flagitabat.

Novit enim Dynasta summè prudens, meritóq; sacro Regis lateri semper adhærens, quam sublimis non Fortunæ modò, sed ingenij etiam Hospitem excepturi essemus: Iamq; aleam aut gloriæ, aut opprobrij Academiæ jaciendam esse, suasq; vnà in vtróvis fortunæ jactu partes forte primarias, cujus & in honoribus Academiæ, & amoribus partes essent primæ. Quare ne aut amori suo, aut honori Academiæ, aut quod præcipuum est Regis expectationi, (quibus nunquam defuit) jam deesset, adventus Regij tempore appropinquante, quarto antè die, Academiam, vt, quàm omnia comparata essent, prævideret, invisit. Ita tamen vt honorifici obsequij (ad quod alias exhibendum Academici catervatim convolassent) nullum sibi [e] publicum indicium exhiberi permiserit (nam & ideò vespere, atq; essedo obtecto invehitur) eò quòd adventante Sole, syderum etsi illustrium fulgorem cedere debere duxerit; dixeritq;. Ibi Eximij Procancella-

e *At nec privatum, ideoq; ne socij Collegij Novi (quod hospitiũ elegerat) extra fores occurrerent, ingressus est Collegij portã* Non licet *dictã quod ea nulli socio liceat exire.*

cancellarij sui (quo munere jam tertiò fungebatur. D. D. *Abbot* Collegij *Universitatis* dicti Præfectus, Cathedralisq; Ecclesiæ Wintoniensis Decanus) insigni cura prudentiáque omnia reperit optatò maturata. Hic enim adhibitis in consilium prudentissimis Academiæ optimatibus, qui in hunc finem solenni Academię decreto (pro more) [f] Delegati erant, postquam accuratâ indagine disquisivissent qui essent in singulis disciplinarum generibus doctrinâ ingeniόq; maximè idonei, ea Prudentiæ Industriæq; laude omnia adparavit, quâ in singulorum postea laudibus aliquam partem sibi meritò vendicet. Cujus eò major erat solicitudo, quòd tantæ expectationis celebritas in ea tempora inciderit, quibus Musæ mutæ, & rostra publica, pro more [g] vacationum Academicarum (quasi lustitio indicto) lurdescerent. Cui solito temporis incommodo occurritur insolitæ industriæ subsidio, præterque hæc delecta Disputandi, Concionandi, Gratulandi munia, omnes etiam Professorum Regiorum, aliorumque quamplutimum (quæ *Plino*, vt dicimus, [h] *Termino* consuetæ) curæ revocantur. Nec dissimilis in privatis Collegijs Præfectorum diligentia, qui

[f] *Ita dicuntur qui ad præcipua quæque negotia & solennes Academicorum conventus deputari solent.*

[g] *Erat enim tum Vacatio Autumnalis quę vt maximè est quatuor annis vacationibus, ita & in ea maxima est studiosorum inquietitia.*

[h] *Ignos Terminos appellamus tempora publicis in Acad. exercitijs celebrata, quæ in anno quolibet quatuor etiam sunt, et singulos terminos sua sequitur vacatio.*

qui nec sumptui ad ædificia exornanda, nec labori ad Principes, carminum orationumq; gratulationibus excipiendos, parci voluerunt.

Quæ dum parantur Serenissima interim Majestas Regia, (cui omnis hac in re mora videbatur longa) venatione & generosissimâ ferarum sylvestrium (quarum [i] vivarijs innumeris alias vna omnes Europæ regiones plurimum superamus) insectatione, tardi temporis fallit tædium. Iamq; post *Essexiæ, Huntingdoniæ, Bedfordiæ, Northamptoniæ* Provincias felici & gloriosa peragratione salutatas magnâ cum subditorum lætitia (quibus gens nulla Principes suos contuendi vspiam appetentior) tandem se ad aliquot dies *Woodstochiæ* reficit; quod oppidum sex passuum millibus ab Academiâ dissitum, non magis palatio illo [k] *Henrici* primi splendidissimo (qui etiam primus in Angliâ vivarium [l] saxo ibi spatiosissimum incinxit) aut *Henrici* secundi [m] Labyrinthe

i N. *Fieherbert. in Descript. Oxon. Rom. impres. 1602. & Com. Prit. in Dobunis.*

k *In porta primaria Henricus 7. Fundator inscribitur rithmo Anglico in hunc sensum*; Septimus has celebras Henricus condidit ædes. *Sed ille frontispicium tantũ & ambitum exteriorem extruxit.*

l Hinc *J. Rossi error, qui hoc primum Angliæ vivarium esse scripsit, quum multo fuerint antiquiora, quamvis non saxeis muris incincta.*

m *Quo Rex delicias suas occultavit, Rex Iohannes,* Henrici 2 *filius illam in Cœnobio virginum de Godstow sepeliendam curavit, cum hoc Epitaph.* Hic jacet in tumba Rosa mundi non Rosamunda, Non redolet sed o-

rint ho

rintho, ejusq; *Rosamundâ* amicâ celebre est; quam *Chauceri*. Maronis Isiaci natalitijs, & *Elizabethæ* Reginæ (æternum celebrandæ) [n] Innocentiâ, carceris hic Sororij contumelias patientis. Atqui jam mitior ibi Innocentiæ arbiter *Iacobus*, eò suis bonisq; omnibus dilectior, quò *Elizabethæ* Imperij, virtutis, Religionis studijs similior. Ibi Sereniss. Majestas dum se oblectat venatione, quum duos præ cæteris præstantiores Cervos longâq; persecutione lassos suâ manu confecisset, vt Oxonienses, de Rege jam tantùm cogitabundi intelligerent se illius esse memores, qui ipsorum oblitus non esset, cervos vtrósq; statim Oxoniam deferri jubet alterum Cancellario, Procancellario alterum donandum, tãquam non adventus modò ejus, sed Amoris etiam prænuntios. Iamq; ecce adest omnium desiderijs expectatus Augusti vicesimus septimus dies, Regis Augustissimi adventui jam ante præstitutus, nobis inter fastos perpetuò numerandus, in quo, ingenti cum lætitiâ Academici ad vnum omnes avidè expectant, quando [o] *Longus à Principe pulvis* ve-

let, quæ redolere solet, *Celebrisq; crux affixa, sic inscripta.* Qui meat hac, oret, signumq; salutis adoret, Vtq; tibi detur requies Rosamunda precetur

n *Epigraphē hanc* (tanquam Agnus) *merito vsurpavit virgo Regia, quum à Maria sorore tũ regnante proficta proditionis criminatione, sed revera quia puritati Evangelicæ addicta fuit, carceri hic inhumano traderetur.*

o *Martial. Epigram. l. 10.*

nientem

p *Tales iam* nientem Regem indicabit, aut *populi Romæ dicun-* vox erit una, *Venit.* Iactat quippe se *tur* Fideles nunc quàm maximè alacris omnium *& eorũ ſcep-* ac beata devotio, nec operta menti- *tra* Mazæ, um rimari neceſſe eſt, extat in vultu *(unde Angli-* cujuſq; hilaritatis publicæ decus, & in *cum* Mace) ſerenis frontibus animorum indicia *Stat. Vrb.* perleguntur. Nec minoris in Rege *Rom l.3 c.4.* deſiderij argumentum videri debet, *Aliqui potius* quòd cum certum tempus præſtitu- *dici voluit* eretur delectis Optimatibus Acade- *Pedellos à* miæ, quo Sacræ Majeſtati excipiendę *pedo quod* obviam procederent, Rex multò ci- *geſtant qua-* tiùs Academiæ limites ingreſſus, illo- *les ſex habet* rum officium deſiderij ſui ardore, & *Academia,* aliquot horarum præmaturatione an- *tres clavas* teverit. Ita vix mille ab vrbe paſſi- *aureas ge-* bus (p Bedellis Academiæ q torqua- *ſtantes, reli-* tis aurea ſceptra præferentibus) Mag- *quos argen-* nificus Cancellarius cum ſplendida *teas ſed puto* caterva ex Academicis ſelecta (qui *potius dici ab* omnes habitu Academico (plerique *Anglica voce* coccineo) pileiſq; induti quadratis, to bid, *quod* equis ſpectabiliter inſtructis vehe- *eſt monere,* bantur) Regi occurrit feſtinanti; eoq, *nam eiuſmo-* iterum atq; iterum humillimâ corpo- *di eſt eorum* ris proſtratione ſalutato, propiùs tan- *munus, & á* dem accedens aureum ſtapiæ fulci- *nobis ad ex-*

teras Academias nomen fortè derivatum. q *Nam ratione officij in nobilium ordinem aſcripti ſunt. Nic. Fierbert. Deſcript. Oxon.*

mentum

mentum demississimo gestu deosculatur. Ipse; deinceps vnà cum Doctoribus, Procuratoribus Academiæ, cæterisq; qui aderant vniversis ad Regios pedes provoluto Eximius Procancellarius, genibus supplicibus oratione graviter, prudenterq; (vt solet omnia) tempori accommodata, "*beneficia commemorat perquam plurima à Deo Optimo Maximo in Academiam Oxoniensem collata, tam verè illustris, tam vndiq; speciosa, vt cum reliquis Christiani orbis Gymnasiis universis vbicunq; terrarum sitis, vna contendere non immeritò videatur. Etenim sive cœli temperiem, sive soli bonitatem, sive loci vetustatem, & caniciem venerandam, sive ædes magnificas, sive fructus & proventus copiosos, seu eruditionis famam, seu scientiæ varietatem, seu concursum studiosorum, seu legum Politiam, & disciplinæ rationem libere intueri; Naturam, & Artem, Dei providentiam & hominum piorum voluntates in vnum conspicuo conspirasse, vt omnia splendidissima, iucundissima, beatissima, accedentibus, invisentibus, incolentibus apparerent. Nihil tamẽ post hominum memoriam iucundius, nihil felicius Academiæ huic contigisse, quàm* (*quod iam tum visura erat, favente* Deo) *Britanniæ vniversæ Potentissimum*

Monarcham

" Monarcham, sed & eundem sapientissi-
" mum, doctissimum, piissimum, deo ipsi
" dilectissimum, Musarum limina tetigisse.
" Viris enim ingenuis, liberaliter educa-
" tis, Philosophis, Medicis, Iurisperitis,
" Theologis, nihil gratius, optatius nihil
" accidere posse, quam Regem omnium no-
" bilissimum, religione celeberrimum, sci-
" entiâ præcellentem, pacis studio singula-
" rem, mari terrâq; potentem, numerosa,
" & beata suffultum sobole, cuius felicita-
" tem universus admiratur orbis, cuius
" amicitiam Europæ Principes certatim
" ambiunt, cui vix quisquam mortalium
" displicere audet, placere aut parere om-
" nes cupiunt; in hospitio literarum, Mu-
" sarum sacrario, Apollinis, Palladisq; do-
" micilio vnà cum felicissima Consorte,
" & beate spei Principe diversantem
" contueri. Tandem post insignis læ-
" titiæ testificationem, & singularis
" voluptatis, qua afficiebantur, quòd
" tum demum horas fulserit, in qua pro
" modulo & mediocritate suâ obsequium,
" officium, observantiam, præsertim verò
" gratitudinem pro magnificâ Regis in A-
" cademiam benignitate, testatissimam fa-
" cerent, humillimè petijt, vt dum
" Scholastica tanto Principi deferrent
" munuscula, pro eximio Serenitatis suæ in
" literatos candore, quæ acciperentur ab illis
" omnia, quæ vt fierent, aquissimo accipe-
re

" *re animo dignaretur.* Deinde, quoniam Sole oriente minora evanescunt sydera, Majestati Regiæ fines, limitésq; Academiæ jam ingressæ, nomine Magnifici Cancellarij omnia, quæ sub imperio Regis potestatis *q* suæ habebat insignia (ea erant, quæ dixi, Bedellorum sceptra) pro muneris ratione humillimè cedendo tradidit, & ad pedes deposuit, palàm profatus *post immortalem Deum, omnia quæ ibi erant, Cancellarium, Doctores, Procuratores, Magistros, Collegia, Civitatem, imò terram, aquam, aërem, & quicquid demùm est, deberi Iacobo optimo, patri patriæ, Musarum patrono, Principum gloriæ, Regi, & Monarchæ Britanniæ.*

Dum hæc accuratiùs summáque gravitate percurruntur, Rex interim, singulari, quam adhibuit, attentione, clementiæ suæ specimen perquàm illustre edidit: vultus autem mitificâ serenitate, cùm primam hanc salutationem sibi gratam esse indicavit, tum etiam spem fecit reliqua à nobis præstanda deinceps officia futura sibi quam acceptissima. Mox Procancellarius, voti publici ergò, Regi in manus tradit Testamentum Stephanicæ editionis Græcum, & intùs politissimâ depictione, & auro exteriùs operosè fulgidum, sed Pientissimi Regis

q *In signum istius potestatis sex Bedelli Cancellario, eo ve absente Procancellario, clavas semper præferunt in publicũ prodeunti, quibus adiungitur etiam statis temporibus septimus* Anteambulo *arundinem argenteam gestans quem Virgiferum nominant Anglicè* Verger.

gis maximè nobilitatum Eulogio,
[r] *Vt refert Aristeas.* qui (r eodem ferè animo, quo *Ptolemæus*, qui nullum jucundius donum se vnquam accepisse professus est, quàm Sacræ Legis Codicem à Iudæis) huic Sacro Codici intuendo & pervolvendo aliquamdiu immoratus, donum agnovit & Academiâ dignissimum quod daret, & [s] Principe quod acciperet. Chirothecas insuper speciosas opere, ornatu pretiosas Regi, deinde & Reginæ, Principiq; dono dedit quæ cum propter Civitatis istius famam (cujus apud exteros Chirothecæ plurimum celebrantur) tum propter Academiæ perspectissimam pietatem (cujus magnæ erant indicia non magna,) apud pientissima istæc pectora muneris etiam magni æstimationem assecutæ sunt. Principibus enim bonis subditorum sincero amore nullum solet esse jucundius munus, nec vllum potest esse salutarius etiam malis.

[s] *Deut.* 17. 18.

Propiùs jam ad vrbem accedenti Regum Maximo, maximorum optimo, alia Civium selectorum occurrit non contemnenda turba. Ea enim est *Oxonie* conditio, vt diversis hisce constet incolis, *Academicis*, & *Civibus*; vnis quidem mœnibus, vtrilque cinctis, sed studijs, moribus, privilegijs

gijs mirè sejunctis. Idcircò cum Reges seculi antiquioris (quorum erga literas incredibili propensione Britannia semper erat felicissima) viderent hic commodè fieri non posse, quod Sequanæ beneficio sit Parisijs vt flumine se jungerent Academiam à Civitate, voluerunt saltem legibus, totiusq; regiminis ratione separare. Ita fit vt nec ijdem sint vtrilq; limites (Academiæ in multò *t* latiores) nec vr authoritas, aut Tribunalium potestas (quum *u* magistratu vrbano, Academicus, non *x* loco tantùm superior sit, sed omnibus ferè momenti negotiis) vel ipsam *y* vrbem spectantibus: Ideóq; præter Magnificum Cancellarium, ejusq; Procancellarium (qui annuatim ad ejus absentis obeundas vices substituitur) duo sur-

t Limitum descriptio habetur in charta H.4. Concessa anno regni 2. Maij 13

u Prætor is est Anglice Mayre à voce Saxonica antiqua May, id est Dominus, vid. Holinsh. in reg. Ioh p. 172. Sed putem potius à Britannica Maur id est magnus. *x Chart Ed. 3. anno reg. 29. Maij 20. Maior & Villani Cancellario parent humiliter & intendant, Ch. an. Reg. 30. Ian. 10. Maior Balivi, Aldermanni, & alij homines ville Cancellario humiliter parent & intendant.* *y Chart. Ed. 3. anno reg. 20. Feb. 10. Maior, Aldermanni, & Burgenses diligenter intendant Cancellario, & ab eo præmoniti coram eo comparere debent: & Chart. Ed. 1. an. reg. 18. Ian. 28. Vult Rex quòd Cancellarius de Ballivis ipsius Domini Regis cognoscat, qui aliter se gerunt in officio quàm debent. Idem Rich. 2. anno reg. 3.*

gantur

z *Id est seniores, inter quos quatuor vrbis partiũ custodia dividitur.*

a *Charta H. 3. an. reg. 39. Iun. 18. 1254*

b *Ch. H, 8. an reg. 32. May 39. 1247. & Ch. an. Regn. 46 Feb. 5.*

c *Quinquagint. illi ppi mò iuramentum Vniuersitati præstiterunt tempore Iohannis Regis an. 1214. vt patet ex Chart. Nicholai tũ Epis. Tusc. & Apostolici ad Oxonienses legati in Archiv. Academ.*

rogantur Academiæ Procuratores (qui annuatim etiam suffragijs electi proximam à Procancellario dignitatem obtinent, eiq; tanquam Tribuni publici adsistere, & in consilijs adesse debent, Civesq; etiam, & advenas quovis modo delinquentes (quâ causa noctu plerumq; armato milite cincti excubant, suspectásq; civium ędes perscrutandi jus habent) carceris, corporisve pœnâ mulctant, aut si res exigat, ejectos extra vrbem æternùm proscribunt, Rerum etiam venalium, ponderum, mensurarum, jus & examen per Clericos Mercatus, & quicquid demum ad felicem studiosorum conditionem spectat, per officiatios ad hoc deputatos. Academia administrat. Atq; ne vllâ vnquam Civium injuriâ Academia lacesseretur, *Henricus* tertius, quatuor viros (z Aldermannos vocant) aliósq, octo Associatos (cives omnes primarios) a primus instituit, qui summâ præditi authoritate, & ad Cives coercendos operam omnem navarent, & juramento annuo se obstringerent (quod vnà etiam b Prætor, Ballivi, & c quinquaginta alij expræstantissimis Civibus in primaria Academiæ Eccelesia quotannis præstare tenentur ad omnia Academiæ jura, privilegia & libertates conservandum,

servandum: idemq; Civium *d* numerus totius civitatis nomine, quotannis die *e* Sanctæ Scholasticæ in publico Academię conventu, singuli, Denario solenni ceremoniâ persoluto, exhibent istius obsequij sui testimonium. Ex istis alijsq; primariæ notæ Civibus, centum quadraginta ferè erant, quibuscum (ordine & amictu de coro equitantibus) Prætor regi accedenti congratulatum perrexit; cui soli (vt luna Soli) potestatis suæ lumen acceptum referens, illi jam præsenti sceptrum aureum (officij sui insigne) ad pedes deposuit. Cumq; statim publicus Civitatis Tabellio officiosâ oratione, linguâ vernaculâ, & Regi ob exoptatissimum ad vrbem adventum gratias persolvisset, & publicam Civium omnium lætitiam, quam ex Majestatis conspectu percepturi erant, paucis prædicâsset; Prætor Civium suorum nomine quædam etiam munuscula, tanquam observantiæ indicia protulit, Regi aureum Craterem eleganti emblemate ornatum, Reginæ crumenam Margaritis Indicis rigentem, Principi demum Craterem minorem sed nummis aureis (vt reliqua erant) ditatum: omnia quam animo officiose devoto data, tam sincerè benigno accepta vultu.

d *Seisaunts et deux (scilicet præter Maiorem & Ballivos) in Gallica Apocha civitatis in Archivis Acad.*

e *Quod eo die (vt patet ex Ch. Ed. 3. ab exercitu civium sub vexillis armato multi scholares interfecti, bona abrepta, domus combusta & etiam porta ipsius vrb. 1354.*

Dumq; pergitur, quid turbæ præeuntis, & subsequentis multitudinem penè infinitam recenseam, quum vel eos arduum sit enumerare, qui definito procedebant ordine? Sed capita legam. *f.* Vicecomes Oxonienſis numerolâ turmarum ſuarum ſucceſſione vjam ducit; Civium ſeriati ordines ſubſequuntur; Regium dein Satellitium pharetrarum telorumque ſtrepitu terribile, ſed aureo bullatæ veſtis emblemate ſplendidum. Tubicines ſuccedunt tunicis vndiq; laminis aureis accuratè variegatis; poſt hos Regius Fecialis, per ſcelidis honorifico nomine inſignitus. *Garterius* Auguſto Imperialium inſignium Paludamento fulgens, cui à Dextrâ eximius *Procantellarius* Academiæ, *Prætor* Oxonienſis civitatis à ſiniſtra; deinde per illuſtres Regis, & Reginæ Vicecamerarij, Dominus *Baro Stanhop de Harrington*, & Dominus *Carew Baro de Clapton*; Demum Amplißimus *Comes Dorſettiæ* ſummus Angliæ Theſaurarius, & Academiæ magnificus Cancellarius, cui à lævâ Honorificus *Thomas Comes Suffolciæ*, Regiæ domus Archicamerarius. Tandem (Præcellentiſſimâ *Ducis Lenoxiæ* celſitudine gladium, imperij inſigne, præferente) totius Europæ Decus & ornamentum

IACOBVS

f Ad eius enim munus ſpectat pacis publicæ præcipua cura per vniverſũ Oxonienſis agri prouinciam, ideoq; quotannis à Rege electus ipſe cum ſuis miniſtris, idẽ præſtat Academiæ iramentum, quod prætor. Charta Ed. 3 an. Reg. 29. Iuny 7. g Dictus quod ſit ad ceremonijs. ſplendidiſſ. ordinis Periſcelidis quã Garterium elicimus Anglice,

IACOBVS REX, Regiæ domus columen REGINA, orbis Britannici spes & deliciæ HENRICVS *Princeps*, equis, tam sacro pondere superbientibus, insidentes, versus civitatem tendunt; Quibus latera vndiq; cingunt *Comites* splendidissimi, *Arundelius, Oxoniensis, Northumbrius, Wigornius*, equi Regij Præfectus, *Rutlandius, Cambrius, Southamptonius, Penbrochius, Essexius, Nottingamius* magnus Angliæ Ammiralius, *Devonius* regni Hibernici *Prorex, Northamptonius, Salisburius* magnus à Secretis Satrapas, *Montgomerius*, & *Peartbius*. Quorum fulgentibus ordinibus se adjunxerunt nobilissimi *Barones*, *Knowlesius* Thesaurarius Regiæ domus, Eiusdemque [h] Censor *Wottonus*, *Artesius* Satellitum Præfectus, *Buckhurstius* eruditus, *Monteglius* & *Hadingtonius* de patriâ patribusq; patriæ æternùm benè metiti, & *Fortunati ambo si quid mea scriptio possit*: vt reliquam taceam illustrium *Baronum, Equitumq;* multitudinem numero splendoréq; incredibilem. Nec multò minor fuit lectissimarum fœminarum, quæ Reginam comitabantur, spectarissima multitudo; inter quas nunquam meo calamo obliviscenda *Arabella*, bellissima omnium literarum & virtutum ara-

[h] *Contrabitulatorem nominant.*

In cujus candidissimo pectore, tanquam in sacratissimo Capitolio, elegantes sibi sedes Musas potuisse, earum Comites Gratiæ in ejus ore, oculis, omniq; gestu salientes, ita liquidò monstrant; vt satis constet Nymphas Britannicas quæ formæ elegantiâ, vel exteris judicibus, primas jam olim reportarunt, ingenij, nunc etiam & eruditionis laude, vel antiquiores illas Cornelias & Sulpitias, vel recentiores quascunq; heroinas, doctrinæ gloriâ celebratissimas, superare. Vix me contineo quo minùs in doctissimæ istius Dominæ laudes effusiùs excurram; sed evagantem calamum ad se vocant *Lucia Comitissa Bedfordiæ*, dilecta Musis; omniumque laudibus celebres, *Suffolcia*, *Nottingamia*, *Montgomeria*. In omnibus splendoris, sumptuumq; nullus modus; auro gemmisq; splendent omnia; quasi viri fœminæq; ejus diei triumphum suâ magnificentiâ gloriosissimum reddere contenderent; adeóq; dubij stetissemus Martísne an Cupidinis ageretur triumphus, nisi eundem Apollinis præsentia sibi vendicâsset,

i Gregorio scilicet Magno Pontifice Romano, aliisq; Bed. Eccl. Hist.

Iamq; Principes, qui à septentrione (quâ spectatissima planicies permultis passuum millibus jucundissimè patet) Civitatem antea procul eminentem

mimentè conſpexiſſent, quò propiùs accedunt, eò liquidiùs intelligunt, non immeritò apud *i* antiquos *Oxoniam Bellositum* audiiſſe; quaſi Muſæ conſpirâſſent, hic tantùm domicilia ſibi ſtatuere, vbi & amœnitas, & ſalubritas ſuas ſibi ſedes potiſſimas prælegiſſent. Vident enim campos atq; ſuaviter ridentia prata, collibus turgentibus, colles nemoribus frequentibus ita circummuniri, vt *k* Euro tantùm & Aquiloni (qui ſoli è filijs Æoli medicam exercent artem) pateat aditus ad hæc ſacra domicilia, ne reliquorum fratrum halitu, pernitioſo contaminarentur. Vident (quodq; viſu perjucundum) à lævâ *Cherwellum* fluvium piſcium copiâ varietateque decantatum; à dextra *Iſidem, Thamiſin* (fluminum Britannicorum principis) parentem; vtróſq; longis itineribus varias regiones peragrantes, quaſi certo inſtituto, vt hanc literarum Metropolin primò inviſerent, eámq; ſeq; ibi mutuò *l* vlnis complecterentur, priuſquam ipſam regni Metropolin inviſere dignarentur. Nam ſub ipſis hic mœnibus ad euro-auſtrum dextras nectunt, ſicq; in inſulis ludunt, ac ſi datâ operâ, loci amœnitate, vrbiſq; celebritate capti, curſum alioquin rapidum ſpectandi gratiâ remoranten-

i *Ab initio Regni Saxonici: hiſt. Oxon. & Iob. Roſſus &c.*

k *Burlæus in probl. Ariſt. Oxon. Ciuitatem proponit pro præſtantiſſimi ſitus exemplo cuius de cauſa à Græcis primo Philoſophiæ deſtinatum Muſis.*

l *Nam ciuitatis mœnia (niſi à ſeptentrione) fluvii undequaq; circũcingunt.*

morarentur, moxq; *Tama* fluvio asso-
ciato, [m] nomina pariter atq; aquas
communicantes, vno alveo *Londinum*
decurrunt. Nec *Oxoniam* modo præ-
sentiâ sua ditavit *Isis*, sed nomine eti-
am suo dotavit; *Isidem* enim *Saxones*
[n] *Ous* dicunt, vnde *Ousford* quasi *Isidis*
vadum, etsi jam affinitate [o] sonus (vt
Lelandus censet) aut [p] sensus potius
vt ego judico, eadem metamorpho-
sis *Isidi* contigerit nostro, quæ *Isidi*
Ægyptiacæ, quam in bovem conver-
sam fabulantur; aut quæ *Acheloo* po-
tius, qui & [p] fluvius fuisse dicitur &
bos; siq; spectes eximiam loci fertili-
tatem, *Isidem* potius dices hic fixisse
illud Cornucopiæ, quod poetæ ascri-
bunt bovi fluvio *Acheloo.* Nec ideo
Cyg. Cant.

[m] *Inde* Tam
isis *fluvii no*
men.

[n] *Quod vi-*
dere est in
Ousneia, quæ
Isidis insula
est suburba-
na; ea enim
sax. insulam
sonat.

[o] Oxford
enim pro
Ousford
corruptè di-
ctum putat
Lelandus in

[p] *Nam Germani & Saxones dicunt, Boves.* Ous, Ox
& Ychen, veteres autem Britanni Ich, *vnde credibile*
est Isis nomen primo inditum, sive ob boum pascua irri-
gua, sive quod olim frequens esset Animalium nomina
fluviis imponere, præsertim quum rivuli boum cornua
repræsentent; vt Ovid. de Acheleoo. [p] *Ita enim Oxo-*
nia, krit. Ryd Ichen, id est vadum Isidis, *aut* Bovis, *Nã*
& Merlinus tempore Regis Arthuri Vadum Boum
nominat, & Monumetensis vbi de Arthuro agit, vtrum
que nomen promiscue vsurpat. sic Thracium Bosphorum
(*id est* bovis vadum) *vbi Darius copias transportavit.*
Germ. Ochen fort *vt & nostram Oxoniam nominant.*
Neander in Geograph.

mirum

mirum, si his tantis trium elementorum delicijs, simúlq; doctissimorum virorum commercio ita capti fuerint olim Reges Angliæ, vt hunc locum imprimis elegerint, cùm ad q publica regni gravissima negotia, quæ Parlamentis hic habitis transigere solebant tum ad privatum s sui recreandi secessum; Cuius causa speciosissima ſ hic habuerunt palatia, quorum adhuc parietinæ, & antiquo *Bellimontis* nomine superbiunt, & multò magis *Richardi* primi (Regis Angliæ) ortu, quem propter gloriam bellicam, animíq; miram celsitudinem *Cor leoninum* & sui & exteri nominarunt: vti & alteræ vicinæ ædes (Regales verè dictæ) ſ alterius *Richardi* Regis *Cor leo-*

q Etheldred *circa annum 1000 de eiectione Danorum. Concilia* Canuti, Edmundi, Stephani, H. 2. *de Tho. Becketto proditor. H. 3. de Baronico bello & similiter Synodi celebriores de controversiis fidei.*

r *Hic enim plerumq; festiuitates maximas & solennitates Natalitias celebrabant Mat. Paris & alii passim.* ſ *Extra portam civit. Borealem iam* Beumont *dict. cui adiacentia latifundia (quæ iam novum parcum dicimus) præstiterunt viuarium. Nescio an & hæ ædes fuerint quas* Henricus de hanna *Provincialis Carmelitis suis impetravit a Rich. Rom. rege an. 1154 Baleus Cent. 4 nam ait fuisse Oxonia vico de Stokewel, qui vicus hac fuit olim.* ſ *Rich. is Romanorum Rex & Cornubiæ Comes qui hic Abbatiam Regalis loci (nunc* Rewly *pro* Roylieu) *nomine celebre fundavit, cuius cor ibi sepultum narratur. sed Mat. Paris ait cor eius sepultum in Ecclesia fratrum minorum Oxon.*

ninum jactant magnificè sepultum.

Quibus propinquum est, quod itidem principibus iam transeuntibus conspiciendum se à dextra ostentat, *Collegium Glocestrense, Benedictinorum* olim prudentiâ celebre, qui è singulis suis vbiuis Cœnobijs [t] hic Monachos alebant ad bonas artes (quas postea apud suos profiterentur) adipiscendas. Sed publica Cœnobiorum ruina has etiam ædes plusquam cœperat involuere, nisi loci opportunitas eas ad meliora [u] Academicorum studia reservaret. Quà fortunâ vtinam par esse poterat, quæ loco vicina sed loci opportunitate, & amœnitate, addo etiam & nominis gloriâ multò erat superior [x] *Ousneia*! quâ concilia olim totius cleri Anglicani Ecclesiastica celebrari solebant, quâ Reges & Legati regiè excipi, nisi fortè Legati Romanenses, qui vt regni nostri hirudines rarò Academiæ nostræ grati; quod non sine vitæ periculo expertus est [y] *Otto Cardinalis* à latere Legatus: hic tanquam in Carcere [z] suo *Tulliano* à studiosis armatis obsessus, qui sui tuendi causa (fratre priùs interfecto) noctu amnē Isidis transnatare & *Woodstochium* vbi

t Inde factū vt plures celebrentur eruditi è secta Benedictinorum quam ex reliquis omnibus monachorum sectis.

u Clarissim. Eques Tho. Whitus *Col. Divi Iohannis fundator, huius etiam fatum redimit Musisq; dicavit*

x Sic dicta celeberrima Abbatia Isidecircumfusa extructa 1129.

y Anno 123 Mat. Paris.

z Erat enim Cardinalis titulo Sancti Nicholai in Carcere Tulliano.

Imperator Constantinopolitanus cum Rege tum erat, confugere cogebatur. Sed audaciam istam luissent Academici nisi omnes Archiepiscopi & Episcopi regni convenissent & furentem Cardinalem placassent, *vt saluaretur status Clericalis* [a] *Vniversitatis*, veluti *secundæ vniuersitatis Ecclesiæ*. Verùm fati postea furorem pacare nemo potuit, nec ab hisce tàm magnificis ædibus avertere, cuius adhuc sublimia campanilia, turres conspicuæ, parietes pyramidesq; immaniter eminentes, jam sine tecto, cœlo patentes, cœlestia videntur numina testari, eorumq; hominum duritiem lugere, qui tam illustria habitacula, è quibus meritò impuros spiritus ejecissent, maluerint [b] Cornicibus, Picis, Palladisq; noctuis, quàm musis ipsiq; Palladi consecrare. Et id genus quidem obstreperæ aues ante extructum Monasterium, istius loci incolæ fuisse, [c] perhibentur: quarum assiduis clamoribus quum infestaretur nobilis eademq; ditissima fœmina *d Editha, Radulphus Fridesvidæ Monachus*, subdo-

a *Nota prærogatiuam Academiæ Oxon. eo sæculo, nam tunc temporis vniversitatis honorificum nomen tantum concedebatur huic & Parisijs & Patauinæ Academ. vide Cambd. in Oxon. & ideo hic, vt etiam ad annum 1297 Mat. Paris. Oxonium Appellat.*

secundâ Ecclesiæ Catholicæ vniuersitatem. b *Quarum vix vspiam locus abundantior.* c *Leland. commen. in Cygneam Cant. & Hollinsh.* d *Erat ea vxor Roberti D. Oily. (qui H. 1. à cubiculis) quæ viro persuasit vt abbatiam ibi extrueret.*

lus insinuator, matronæ credulæ persuasit non aves fuisse, sed animas, (fœminarum credo adeò garrulas) quæ eius pietate liberari (quod certissimè fieret, si hunc locum Monachis e sacraret) è purgatorio tam streperè flagitabant; quo impetrato, certum est earum plumas purgatrici flammâ nunquam postea vstulatas; sed inter ista monumentorum cadavera, quæ adhuc quasi insepulta iacent, vt fragilitatis suæ monerent homines, quorum latera non sunt è saxo, nec è trabibus nerui (ideoq, *Non indignemur mortalia corpora solvi; cernimus exemplis oppida passe mori*) nullum sublimiùs caput attollit, quam f Castrum Regium, occiduâ Ciuitatis regione procul conspicuum, cuius in colle edito sublimis Pharos cervicem quasi altiùs exerit vt contueretur tantam Maiestatem jam vr-

e Leland. dicit Ecclesiam ibi sacrandam fuisse Servatori, as gerit nomen sanctæ Mariæ. Nam Pontificiorum fraude Mariæ quæ Servatorem tulit in mundum eum fere sustulit è mundo eiusq; memoriam nomenq; absorpsit

f *Extructu a Roberto D. Vitoris qui ei hic ampla latifundia donarat huic è fratre nepos hæresq; is erat, qui Ousneiæ fundauit Monasterium, idemq; Ecclesiam Sancti Georgij in Castro extruxit.* f *Obsederat eum Rex a Festo Mich. ad festum Natiu. Neubrigensis lib. 1. Cap. 10. quo tempore Ecclesiam* Sancti Thomæ *Suburbanam excitavit qui parochiani* Sancti Georgij *propter obsidionis moram Ecclesiam suam adire non poterant Hist.* Ousneinsis.

bem

bem adpetentem, & catervas multò gratiores secum adducentem, quàm quibus olim à *Stephano* Rege concutiebatur, cum *Matildis*, bellicosa Imperatrix, hostem secure obsidentem fœmineo illuderet ingenio, noctuq; perpetuâ niue candenti milites suos vestibus candidis amictos per *Isidem* congelatum educeret incolumes.

Inter ista spectacula quæ in omnium oculos procul incursabant, Principes ad vrbem properant, quantùm quidem patiebatur infinitus hominũ incursus, qui tam confertis ordinibus in viam *Woodstochianam* conglomerabantur, vt equis interdum progressus vix testudinei copiam facerent, nec *Oxoniensem* tantùm sed totius gentis populum confluxisse crederes. Suburbia tandem *Ægidiana* introeuntibus Academicorum ordines (phalangibus altero platearum tractu pulchrè dispositis) gratulabundi comparent, adeò vt Templum quod extremas ibi metas Suburbij munit, jam tantùm antiquitate gloriosum g Diviq; Tutelaris, cujus nomen præbet, fatumq; vnà ferens (erat enim olim Athenarum

g Divi Egidij *quem legenda (quam mentiri ne putes) dicunt Athenis & regia stirpe natum & eruditum sed gloriæ seculi atq; vrbis eremum prætulisse: cicra an D. 700, cumq; á Deo precibo flagitasse, ne vnquam a gravi vulnere (quod fortè accepe-rat) sanaretur vt ita virtus in infirmitate manifestaretur, Vincent. Bellov. Hist. lib. 24. c. 134 bino fit vt vulneratorum & claudorum Patronus habeatur, eiusq; fana extra vrbis mœia plurimq; sint.*

nostrarum

nostrarum primaria k Ecclesia, jam autem in agros ferè ejecta) gloriam, ab Academicis suis illuc jam confluentibus videretur sperare sibi reduce. Primę quidem ibi eorum sistuntur series, qui nondum quatuor annis Artibus liberalibus in Academia impensis l nulla graduum insignia susceperant, verùm togis Academicis, & pleriq; omnes quadratis conspicui pileis: quibus suis etiam succedunt ordinibus, quotquot eruditionis commendatio, gratiáq; Academiæ ad Illustres graduum dignitates, in quovis disciplinarum genere evexerat; Florentes Baccalaurei *Artium, Iuris, Medicinæ*, Clarissimi Artium Magistri: dignissimi Sacræ Theologiæ Licentiati & Baccalaurei: Venerandi Doctores *Iurisperiti, Medici, Theologi*, quo perpetuo omnium ordinum ab infimis ad summos successu, mirabilis eorum multitudo longitudinem Suburbiorum ad portam vsq; Borealem, indeq; vicissim, per ipsam vrbem ad portam vsq; Civitatis Australem, spectabiliter protensa, singuli pro graduum varietate, varijs Facultatum insignibus splendidè induti exornabant. Atque hæc quidem illa præelecta indumenta in quibus *Matthæus Parisiensis* refert *innumerabilem multitudinem* Oxoniensium anno 1252. adeò honorificè Archiepiscopum

k *Sed alio tum nomine sacrata, non Ægid. vltra quã* Nunc seges vbi Troia fuit. *Danos enim ibi omnia vastasse, ideoq;* Alfredũ *Musas intra mœnia, vtpote tutiora, conclusisse ferunt hist.*

l *Non graduatos dicere solevimus.*

chiepiscopum Cantuariensem nationę Gallum Academiam invisentem excepisse, vt Clerici alienigenæ (quorũ multos, secum adduxerat) *Umbratiles* viderentur & ab eo dicerentur: *& Oxoniam meriò Parisiorum æmulam habendam esse Archiepiscopus confiteri cogeretur.* Quorum primos jam ordines dum Principes contemplantur, primisq; congratulantium acclamationibus delectantur, Collegium *Divi Johannis*, nobile literatum domicilium (quòd Dominus *Thomas Whitus, Prætor* olim *Londinensis*, opimis reditibus locupletârat) faciles eorum oculos speciosæ structuræ adblanditione invitat, moxq; & oculos & aures detinet ingeniosâ nec injucundâ lusiunculâ, quâ clarissimus Præses cum quinquaginta, quos alit Collegium, studiosis magnáq; Studentium conviventium catervâ prodiens, Principes in transitu salutandos censuit.

Fabulę ansam dedit antiqua de Regia prosapia historiola apud Scoto-Britannos celebrata, quæ narrat tres olim Sibyllas occurrisse duobus Scotiæ proceribus *Macbetho & Banchoni*, & illum prædixisse Regem futurum, sed Regem nullum geniturum, hunc Regem non futurum, sed Reges geniturum multos. Vaticinij veritatem rerum

rum eventus comprobavit. *Banchonis* enim è stirpe Potentissimus *Iacobus* oriundus. Tres adolescentes concinno Sibyllarum habitu induti, è Collegio prodeuntes, & carmina lepida alternatim canentes, Regi se tres esse illas Sibyllas profitentur, quæ *Banchoni* olim sobolis imperia prædixerant, jamq; iterum comparere, vt eâdem vaticinij veritate prædicerent *Iacobo*, se jam & diu regem futurum Britanniæ felicissimum & multorum Regum parentem, vt ex *Banchonis* stirpe nunquam sit hæres Britannico diademati defuturus. Deinde tribus Principibus suaves felicitatum triplicitates triplicatis carminum vicibus succinentes, veniámq; precantes, quòd alumni ędium *Divi Iohannis* (qui præcursor Christi) alumnos Ædis *Christi* (quo tum Rex tendebat) præcursoria hac salutatione antevertissent, Principes ingeniosa fictiuncula delectatos dimittunt; quos inde vniversa astantium multitudo, felici prędictionum successui suffragans votis precibúsq; ad portam vsq; civitatis Borealem prosequitur.

Ibiq; extra muros eorum conspectui duo se à læva ostentant Illustria Collegia, alterum *Trinitati* sacrum, alterum *Beliolensi*; quod gloriatur potiùs

ùs, quòd *Humfredum* ducem *Gloceſtriæ*, *Henrici* quarti filium virtutum merito *Bonum* cognominatum Academiæ noſtræ lucidum atq; patriæ Sydus, nomenq; nunquam obliviſcendum [k] educârit quàm quòd *Cranmerum* Archiepiſcopum, *Ridleum*, *Latimerum* Epiſcopos, ſuis præ foribus (vt *Eliam*) igneis vehiculis cœlum petentes conſpexerit. Sed jam Fundatorii imprimis *Baliolí* Regis Scotiæ nomen jactat, quaſi tum olim Scotia ſuos Regis Academiæ noſtræ propitios in *Baliolo* ſuo ſpoſponderit, quod in *Iacobo* noſtro jam feliciter appropinquante præſtiterit.

Atq; iterum inquam feliciter; quid enim morer [k] Monachorum fabulas, qui hanc ipſam portam borealem, quam ingreditur *Jacobus* Regum feliciſſimus potentiſſimus, Regibus prædicarunt infelicem? Eſto enim vero quod [l] narrant (qui non ſemper narrant verum) *Algarum* Regulum hac eadem *Frideſwidæ* ædes animo adpetentem nefario, ad quas optimo Rex optimus jam iturus, in ipſa hac [m] *ante ea: multo magis qui ab Edw 3 quod aly conſtellant, quod ejus inſignia Anglica cum Gallicis miſta obſervent in Portis, quod factum quia Rex Ed. quedam vectigalia Civitati conceſſerat ad muros & portas vetuſtate corruentes reparandum, quod cum Cives facere negligerent Cancellarius Academiæ authoritate Regia, computo ve-*

[h] *Baleus Cent. 8. c. 1.*

[i] *Religionis cauſa ſublati bi erant flammis Pontificiorum, qui peritiſſimi ſunt ſpagerici, igneq; & ſulphure omnia ſolent perficere.*

[k] *Camden. in Oxon.*

[l] *Frideſwida biſt, & Leenda Sanctorum.*

[m] *Hinc liquet errare eos qui Iſidis vadum muro cinctum à* Gulielmo Victore *aſſerunt & nõ*

Eligalium à civibus exacto, muros restaurandos curavit. Ex Charta Edw 3. in Arch. Acad. & in Censu li lib. Guliel. Victotis, *mentio est 24. de morum munalium, ideo muri erant ante id seculum.*

porta cœlitus perculsum cœcitate: Si qui tamen Reges Angliæ *Oxoniam* (quod fertur) ideo invisere formidarint, necesse est fateantur, aut *Algari* scelera spirasse, aut superstitiosâ cæcitate animi, cæcitatem oculorum præmetuisse. Quanquam qui ista scribunt mihi potius cæcutire videntur, quum omnes omnium historiæ testentur, etiam ante *Henricum* 3. (quem aliqui *Oxoniam*, salutatâ *Fridiswidâ*, primò venisse putant) vix ferè quemquam Regum fuisse, qui *Oxoniam* non invisérit modò sed etiam (quum Palatia, vti diximus, hîc habuerint) frequentârit. Crederem ergo potiùs Principibus & animos & oculos eò limpidiùs perspicaces fuisse, quò libentius huc advenerint, modò hoc animo, quo, & bis, felicissimæ memoriæ *Diva Elizabetha*, jamq; Regum optimus IACOBVS primùm venerit, vt & Civium oculo benignitatis suæ conspectu recrearent, & Academicorum animos judicij sui Lydio quasi lapide explorarent.

Certè ingresso jam *Iacobo*, sensit Civitas quidam se amplius capere, quam quod murorum suorum angustijs comprehendi posset: Senserunt omnium pectora tantâ se lætitiæ magnitudine intumescere, quantâ ni-

si in fauſtas acclamationes, lætàsq; lacrymas efumperent, ipſa impetu diſrumperentur. Quibus Rex vndiq; cinctus ita exultantium vocibus, vt ei facilè, & ex ipſo vultu appareret gratulatio non ingentior fuiſſe quàm verior, quum tandem attigiſſet [a] *Quadriviale Forum* (celeberrimum n quidem vrbis vmbelicum, & olim [c] arce, in terrorem Academiæ à civi- Ciuium [p] Templo, & *Porticus*, [q] Pecuniariæ nomine, maléq; feriantium conceſſu famoſum) prodijt hìc in conſpectum Principum Regius linguæ Græcæ profeſſor, *Dominus Doctor Perin*, qui ſuo Greco idiomate, paucis quidem, ſed perquàm diſertis verbis ex ſublimi ſuggeſto ſalvere juſſit IACOBVM *Britanniæ*, *Galliæ*, *alij* Cater

a Corruptè Carfax quaſi Quatervois bus extructâ, ſed ad *Edwardo* Primo eveſtâ nobilem & hucuſq; primario *Templo*, & *Porticus*, [q] *Non linc verſus*

c Carfax quaſi quatuor vijs, quòd illic Tetrapylum ſeu Quadrivium olim extitit.

p Templo Templa ſeu Collegia Scholaſtica Oxonij ſunt 20. quæ ſingula ſuos habent Principes, Socios, Scholares, Bibliothecas, Capellas, Refectoria, Cubicula, Hortos, Cryptas, Cellaria, Coquinas, Lauacra, Latrinas, Cœmeteria, Puteos, Cloacas, Ambulacra, Aulas, Cameras, Cubicula, Scholas, Lectoria, Conclaua, Cell

Regem, vt longe optimum, ita multa felicissimum; Reginam de in Serenissimam, & Regiam vtriusq; prolem, vt summæ spei, ita communis expectationis dignitatem & " excellentiam. Et quaniam temporis " angustiæ longas de regijs virtutibus di- " cendi ambages præcludebant, succinctè " statuendum censuit, nihil esse vel ad " Regum Rerumq; publicarum securita- " tem aptius, vel ad gloriam vberius, vel " ad ipsam felicitatem accommodatius " (quarum rerum Reges, qui sunt optimi, " videntur semper scientissimi) quàm, " non solum ipsos speciocissimâ bonorum " animi & corporis venustate ornatos " incedere, sed & Civitates, quibus im- " perant, in vnitate & concordiâ retinere, " sinceram ipsos in Deum pietatem, & " religionem edocere, publica privatorum " Nobiliumq; emolumenta, potiùs quàm " sua quærere, adeoq; studia bonarum lite- " rarum earumq; studiosos ita cumulatè " excolere, & exornare, vt nihil inter " subditos eorum vel ad corporis tran- " quillitatem, vel animi salutem vlteriùs " desideretur. Quæ omnium virtutum " verè Regiarum exempla, cùm in Regiâ " Magistate ipso sole fulgentiora omnes " suspiciant, nihill nostræ conditionis ho- " minibus aliud iam reliquum videri, " quibus tanta affulsit beneficentiæ Regiæ " copia & magnitudo, quàm præsentiâ

optimi

" optimi optatissimiq; Principis triumpha-
" re, Deoq; Optimo Maximo gratias (quæ
" concipi possunt maximæ) agere & hal e e,
" umq; impensiùs rogare, vt Regi, post
" secula in sumo fastigij felicitatis exacta,
" immortalem concedat in cœlis beatitu-
" dinem, vbi cum omnibus Cælitibus, tan-
" quam stellæ firmamenti, in omnem secu-
" lorum æternitatem resplendeat.

Quâ salutatiunculâ finitâ, dum ad *Ædem Christi* (quæ portæ Civitatis Australi ad lævam adjacet) locum *Palatio Curiæq;* destinatum, progrediuntur Principes, Plateæ, etsi peramplæ, minores tamen quàm quæ hominum tot quasi effusa examina continere possent, in domorum omnium fenestras & ædium cacumina exundant, è quibus vndiq; evolat lætissima triumphantium & gestientium vox; vt quod de adventu *Cæsaris* olim poeta, nunc paucis immutatis verbis, de *Cæsare* nostro verè *Augusto* vsurpari possit.

Hic fuit ille dies, quo campus, & arbor, & omnis
Splenduit Angliacâ culta fenestra nuru.

Vt si hinc in Rege, conspicuam vultû serenitatem; illinc in populo incredibilem vultûs, vocis, pectorisq; alacritatem perpendas, meritò dubites

bites vtrum Regi, tam amantis populi conſpectus, an populo, tam benigni placidiq; Regis, fuerit jucundior. Regina verò vnà cum Britanniæ totius ornamento, *Henrico Principe*, quàm intimè, ex iſtis pubhci officij indicijs, gaudio permulceretur, toto itineris proceſſu, non modò mirifica & amabili frontis jucunditate, ſed frequenti etiam vocis teſtificatione totiuſq; corporis ſuaviſſima inclinatione patefecit.

Gliſcit hîc mihi animus in tam dilectæ Heroinæ laudes paululùm expatiari: ſed vt infirmus oculus ſolem ferre non poteſt, ita nec acies ingenij, aut mei, aut cuiuſquam, par erit tam illuſtres virtutum radios contemplando. Verbo tamen dicam vnus quod facto experiuntur omnes; ſive corporis pulchertimi fabricam ſpectemus, ſiue animi pientiſſimi virtutes, ſiue conſtantem vtriuſq; Maieſtatem cum ſumma morum ſuavitate contemperatam,

(*Tam benè conueniunt, & in vna ſede locantur.*

Maieſtas & Amor)

neminem eſſe vſpiam fœminarum digniorem, quæ *Diue Elizabethæ*, (ætatis ſuæ miraculo) ſuccederet in imperio, quàm *Annam* noſtram Sereniſſimam

simam, quæ (siqua mortalium) eam omnium virtutum celsissimarum laude adæquauit. Scilicet ita deo visum est vt cecum tandem [r] *Dania*, in gratiam rediret Britannia, cui maxima, olim clades illaras maximo hoc compensásti beneficio, quo, non presente modò Regina fruimur (quod encomiorum optimum est) optima, sed ex sobole etiam felicissima æternam posteris felicitatem præsagimus. Istius modi quidem cogitationibus animos pascebant suos præstantes Musarum alumni, dum interim magnifico agminis Regij adparatu oculos pasceret illiterrata plebs, quam, vt splendor voluptate, ita tanti quasi exercitus in longum protensa series admiratione percelluit. Sed de exercitu non laboro; Ducem sequor, qui jam tædio viæ perfunctus, Palatium tanto Rege (si quod vspiam terrarum) dignissimum ingreditur.

[r] *Reginæ enim* Anna, Frederici *secundi Daniæ Regis filia.*

Non capit Augustum Mantua, Roma capit.

Hospitium illud quidem, vt olim á regibus ad literatos suscipiendos, ita (felicissima talione) á literatis ad Reges iterum excipiendos destinatum. Tametsi enim *Wolseum* speciosissimæ structuræ authorē prædicet, quo nomine tum recèns *Cardinalis collegium*

audijt

audijt, Collegij tamen Fundatorem alium non agnoscit quàm *Henricum Octavum*, cujus erga literas beneficentia (*Wolsæo* licèt omnibus fortunis deturbato) & Ædes istæ literis, & Ædibus istis opimæ suæ possessiones sunt condonatæ: Ideòq; aliquandiu *Collegium Regium* nominabatur. Postea tamen potentissimus Rex, ne in suum nomen honorem fundationis videretur transtulisse, quem *Cardinali* abstulisset, nec *Regis* nec *Cardinalis* nomini dicatum voluit, sed omnium supremo Regi, *Ædemq; Christi* nominavit. Et ad augendum Collegij decus, eius Ecclesiæ Episcopalem dignitatem primus addixit; Decanum cum octo Præbendarijs præfecit Collegio: In quo porrò (præter Nobilissimorum juvenum ingentem multitudinem, qui ibidem privato parentu sumptu literis operam dant) publicis Collegij reditibus, Studiosi Centum (è quibus pleriq; Magistri in Artibus, & in Theologiâ graduati) aluntur; Sacellani octo, octo Symphoniaci, Choristæ totidem, publici præterea Ædium famuli perquam multi, pauperes etiam grandævi, notæ honestioris viginti quatuor, quibus à ? frontispicio Collegij & Hospitium perquàm decorum, & alia

p *Collegium enim ad Portæ Australis orientalem.* Prochotrophium *ad eiusdem Portæ occidentalem partem.*

lia omnia ad vitam victumq; necessaria, honestè suspeditantur. Tantis ferendis sumptibus proventus suppetunt opimi, qui binis, vt minimò, libratum millibus (idq; veteri æstimatione) censentur; vt nihil ad gloriosissimum totius Europæ monumentum videatur desiderari, si, veluti à Rege olim facta est ad tam illustres vsus tam larga redituum concessio, ita deinceps ab aliquo Rege (quis enim alius tanto operi par erit) externa ædificiorum perfectio sperari possit. Siquidem *Wolsæus*, qui nihill potuit nisi plusquam Regium animo suo præstituere post varia alibi palatia extructa (quorum omnium superbia quo authore, quantóq; animo locata fuerint, procul intuentibus facilè loquuntur, jam tandem ad *immensa & vasta mentem versanis* (vt de hoc ejus cæpto loquitur Polidorus) hic loci, vt Musis arcem magnificentissimam, ita magnificentiæ suæ summum apicem, & gloriæ suæ æternum testem figere statuit. Nam & antea *Westmonasterij* Regiam Novam (nunc [p] *Au-*

o *Nam & vetus ibi Regia est, olim Regum primaria sedes, iam vero ad vsus forenses & Parlamẽtorum conventus transfertur.*

p *Nam tum ædes Eboracenses dictæ, quia ad eam sedem spectabant: quas cum ab Ecclesia H. 8. extorquere cuperet, Wolsæus dixit* non suas esse sed successorum suorum ædes, ideoq; iure alienare non posse, *cui Sbellæus iuris Municipalis iudex*, etiam (*inquit*) potes in forma Iuris transferre: at (*inquit Camd-*) possumne in forma bona Cõscientiæ? *Vtinam qui ius profitentur, aliquid etiam profiterentur Conscientiæ, nec ita sub nomine Iuris, iniusta consulerent. In vita* Wolsæi *per Georg. Cavendish.*

lam Candidam à summo splendore dictam, quâ vnivâ Reges *Londini* agentes delectantur) extruxerat, & *Curiam Hamptoniensem* in agro *Midlesexiæ*; quæ quantum alias vbiuis ædes Regias antecellit, nemo nescit; vt mihi visus sit *Wolsæus* quasi natus ad splendida Palatia erigenda, quæ Reges semper haberent aut Dominos, aut Hospites.

Certè *Wolsæum* structorem dicere, mihi idem est ac structuram magnificentissimam dicere; vix enim quicquam habuit illud seculum cum isto Præsule aut animi, aut opum, aut operum magnitudine comparabile. Nec animo celsior erat, quam titulis honorificis *Regni Cancellarius, Legatus à Latere, Cardinalis, Archiepiscopus Eboracensis*, vnáq; *Wintoniensis Episcopus*, & *Episcopatuum Bathon & Wellens. Wigorn.* & *Hereford. Administrator vsufructuarius*; *Abbas etiam Sancti Albani*; erat deniq; (vt verbo dicam) quicquid esse voluit; adeò vt (si istiusmodi rerum q perito æstimatori credamus) annui proventus ejus pluris fuerint, quàm si omnes hujus Regni Episcoporum, atq; etiam Decanorum possessiones hodiernæ in vnum aliquem conferrentur. Huc accedit quòd opes & prædia nactus sit quadraginta *Monasteriorum*

q *Godwin. Episc. Land. lib. de Episcopis totius Britanniæ.*

nasteriorum, quæ expressa [c] *Papæ* concessione demolitus est, vt eorum emolumenta Collegijs extruendis impenderet. *Quod equidem singulare nefas* (inquit Virgilius) *effecit, vt Romanus Pontifex gratis in Anglia male audiverit.* *Gratis*, id quidem angit; aliàs enim singulare nefas, si quid Papæ lucri inde succrevisset, minùs hominem commoviisset. Verùm benè habet quòd homo Italus idemq; Pontificius, Pontificem non sacrilegi facinoris participem tantùm, sed & [f] *sacrorum templorum deorumq; ruinas impiè nefarieq; ædificii*, & approbatorem & Authorē agnoscat. Quanquam, vt ingenuè dicam, ingenuè dicit pauca de *Wolseo* Polydorus, in quo (vt & in alijs passim) invidi potius obtrectatoris personam quàm fidelis Historici induisse novimus. Illud verò præ cæteris etiam veteratoriè, quum in eò exagitet quasi rem omnium absurdissimā, *quòd homo iuris imperitus sederit pro Tribunale, iusq; dixerit*, hoc est, quòd Summus Regni Cancellarius fuerit. Erras Polydore, erras. Nec enim *Juris imperitus* erat, neq; tamen ad id muneris, peritè obèundum peritia juris ita requiritur. Fuerit is Fortunæ [t] *inmodo, sed & foris pro arbitrio potuit. Accusabatur* Wolseus *quod scriberet* Ego & Rex meus; *sed Rex agnoscentis*

[c] *Ergo in Papam (cuius exemplo dicis* Hen. 8) *vertat filijs* Sanderus *qui illud Regis Apothegma mire exagitat dicentis* Corvorum nidos esse penitus disturbandos ne iterum ad cohabitandum convolēt, *Sand. Schis. Angli. l. 1.*

[f] *Idem loco citato & id factum (inquit)* Rom. Pontificis assentione & Authoritate.

[t] *Nam omnia non domi*

vit & se & Regem Galliæ à Wolsæo regi. Polyd. loc. cit.

gentis luæ incantamentis fascinatus nimium; fuerit gloriæ, vti dicis, appetentior æquo; at si ingenij dotes tàm habuisset temperatas, quàm habuit illustres, quantum aut fortunæ habuit, aut gloriæ cupijt, tantum & meruisset. Novit verò *Wolsæus Cancellarie Curiam*, vt dici solitam, ita & *Conscientie curiam* esse debere; eò verò plerunq; plus conscientiæ æquitatisque habere, quo minus *Iurisperitorum* reticulis perplexa redditur. Nam & eum in finem Reges Angliæ, Curiam hanc reliquis Legum Municipalium Tribunalibus superiorem esse voluerant, vt si quid illic ex rigore Iuris peccetur, hic ex æqui boniq; conscientia corrigatur. Qua in re *Constantini* nobile exemplar sequuti sunt. qui omnes suas Leges imperfectas esse voluit, vt inde appellarent ad Episcopos. Ideóq; vt Antecessorem *Wolsæus* habuit in eo munere Archiepiscopum Cantuariensem, ita ab initio homines [a] *Theologi* & è [b] *Clero selecti* eadem sem per subsellia occuparunt, vt qui ex jure Dei & jure gentium æquitatis modices *Cancellarij* dicebantur.

a *Olim non tantum Cancellarij, sed summi etiam Angliæ Iustitiarii, & legum Municipalium iudices Clerici solebant esse. Ita* Hubertus *Archiepiscopus Cant.* Gulielm. *Episc. Elien sis.* Episcopus *Winton. tempore Regis Iohannis.*

b *Inde Coiudices Cancellarij dicebantur olim Clerici in Cancellaria & Magistri Cancellarie quia plerunq; Doctores erant, nam Doctor et Magister idem significabant: Inferiores autem scribæ, qui iam fere Clerici dicuntur,* Clericuli *tum dicebantur.*

derationem

derationem & optimè callerent & lubentissimè exequerentur. Neq; vero *Wolseus* in statum Dignitatum suarum proventibus elargiendis parcus erat, in quibus conparandis tam erat studiosus, quod (vt cætera prætream) quotidianæ familiæ immensi sumptus satis indicant, in qua (quod in viro subdito fidem superat) assiduo famulitij obsequio aderant, *Comes unus, Barones novem, Equites & Armigeri*, multò plurimi, aliiq; non pauciores quàm quadringenti; homines adeò omnes corporis animiq; lineamentis commendabiles, vt etiam ex *s* inferiori ejus famulorum ordine, Rex sexdecim simul in selectissimi Satellitij sui numerum cooptaverit; ceteri verò omnes eo merito, vt à *Wolseo* jam declinante monerentur, ne cuiquam infra Regiam dignitatem dignarentur famulari. Sed eccum rerum humanarum rotam versatilem, & fortunæ lusus!

Quem dies vidit veniens superbum,
& in ipso splendoris fastigio collocatum;
Hunc dies vidit fugiens jacentem,
fortunisq; suis *t* omnibus deturbatum inopinatò: Tantum & voluit fatum, & potuit offensa Regis.

Ista primi fundatoris fortuna; domuſq;

s Vita Wolsæi per Cavendish.

t Adeo vt Doct. Higdeno præfecto Collegij sui Oxon. cui tot millia librorum impenderat, minutam 200l. summam accipere mutuo cogeretur, ad famulorum aliquot remunerandos Cavendish, ibid.

musq; hæc Domino non dissimilis, quo cum vnà (quasi ejus culpam lueret) in medio surgentis gloriæ progressu, præmaturè interrupta elanguit: ita tamen vt quâ perfecta est florentissimi *Wolsæi* gloriam prę se ferat, quâ etiam imperfecta, ex ipso immani parietum & fundamentorum circuitu, videatur cadentis Domini magnitudine superbire. Areas enim Quadrangulares etiamnùm quatuor numerat, adeò omnes amplitudine pulchrisq; vndiquaq; ex quadrato lapide æ dificijs speciosas vt tres minores perfecta Collegia laude adęquent. Quarta verò, quæ ingressu prima, & specie primaria, ita totius structuræ mirabili artificio spectabilis est, vt censeas tam Augustis Principibus tam augustum hospitium meritò accommodatum. Primùm enim exteriùs Regio se offert conspectui turris, quâ frontispicium ornatur, ampla & columnis Corinthiacis speciosa, qualem *Pindarus* requirit, πρόσωπον χρὴ θέμεν τελαυγὲς, ideò famâ celebrior, quasi nonnihil fecerat ad eum deprimendum, à quo ipsa & excitata fuerat, & ornata; Rege quippe indignante quòd, quum insignia tàm *Regis* quàm *Cardinalis* magnificè præfigerentur,

Cardinalis

Cardinalis superiorem locum occuparent. Cujus insoliti fastus eò magis admiratio subit animum, quum fenestra (quæ inde non procul in frontispicio pulcherrima est) alium in Cardinali animum arguat, vbi supra sua insignia, politissimo opere exsculpta, & columnis Cardinalitijs galeróque ornata, adscùlpi voluit Molossum (cujusmodi lanijs in vsu, lanij enim filius habebatur) ovinam scapulam arrodentem, quasi nec sui immemor, nec parentelæ pudens: nisi quis potius in contumeliam postèà (quod non crediderim) adjectum suspicetur. Quanquam non ignorem & aliâ sculpturâ ad fenestram itidem, quum in Gallia Cardinalis Legationem splendidè obiret, non dissimilem contumeliam perpessum, vbi in Cœnaculo suo repetit *Galerum Cardinalitium* & *Patibulum* juxta saxo desculptum. *Cavend. in vit. Wol.*

Turrem verò subingressus, interiùs Areæ patet spatiosissima quadratura, ædificiorum numero, sublimitate, conformi structurâ plumbeisq; tecturæ laminis, conspectui delectabilis; cujus pars adversa (vt etiam capacitatem agnoscas) Regiam præstitit, & Regi simul, & Reginæ. A læva, stant parietinæ, & quasi incunabula Tem-

plo Cardinalis nascituro, quod, nisi abortu perijsset, omnem, (vt ex primordijs videre est) magnificentiæ apicem attigisset. A Dextra verò, Collegij Aula (quâ *Anglia* ampliorem splendidioremq; non agnoscit) excelsis parietum fulcimentis elevata, & spectatissimâ laternâ vitreâ procul eminet. Huic verò interiùs adjacent (si id scire referat) Ædes Culinariæ, tot officinarum varietate ornatæ, tamq; supra fidem turriculis, pinnis, & parietum politurâ se ostentantes, vt citiùs crederes Dynastæ alicujus habitationem, quàm obsonatorum Apothecam. Quod cuidam *t* extero subministravit scomma, qui *Wolsæum* subsannans, *egregium*, inquit, *opus! Cardinalis Collegium incepit, popinam absolvit.* Sanna vix è coquinâ deprompta, adeò sale caret. Citra medium areæ nuperrimè conspicicbatur *Frideswidæ* crux (in qua sacrum olim Academiæ suggestum) historijs etiam *u* exterorum nobilitata, præsertim quòd ad illam primò *Iohannis Wiclesi* ejusq; sociorum Evangelica tuba, to-

t Rod. Gual. Fox Mart. p. 1037.

u Crispin. de Actis Martyrum ad annum 1372. vbi patet quanta hic fuerit rabies Monachorũ quod Wiclevistæ ex hoc suggestu docerent prius orandum esse pro Regis salute quam pro Papa.

x Sc. Cancellarius, Procuratores, primarijq; omnes in magno Acad. concilio vt merito Archiepiscopus tum Cantuar. dubitaret, an vllus esset Oxoniæ locus Catholicæ hæresi relictus. Crispin. Ib.

ta

tâ ferè Academiâ ([y] quod publicum Academiæ testimonium sub sigillo testatur) comprobante, intonuit, vt intelligat Lupanar Antichristianum spurcities suas horribiles Academijs liquidò patuisse, multis ante [z] *Lutherum* lustris, quem nostræ veræq; religionis parentem putidè mentiuntur. Sed ista crux nostrâ memoriâ corruit vetustate confecta: siquidem extructa fuit anno [a] 1268. idq; ab infensissimis crucis Christi inimicis, Iudæis. Die enim Ascensionis Domini, Cancellario Academiæ publicè concionante in cœmiterio sanctæ *Frideswidæ*, quo die annuatim omnes presbyteri parochiales solenni pompâ solebant visitare Ecclesiam illam *Frideswidæ* quasi Matrem, in processione Iudæi crucem ferenti eripuerunt, eámq; cum contemptu fractam conculcârunt, Regis primogenito *Edwardo* tum *Oxoniæ* commorante Rex, qui *Woodflochiæ* tum fuit, re cognitâ, ad perpetuam rei memoriam cruces duas perfici jussit Iudæorum sumptu, alteram argenteam totam deauratam, alteram marmoream fixam; argenteam autem Vniversitati dedit: hi versus in Tabula aurea appensi erant.

Quis meus author erat? Iudæi; quomodo?

y *Cuius verissimum est exemplar, quod Foxus habet in Martyrolog. etsi postea aliud vi fraudeq; extortum erat.*

z *Etiã multis ante* Wiclefum, *quũ* Armachanus *alijq; heroes permulti eandem doctrinam Oxoniæ diu ante stabiliverant.*

a *In archivis & monumentis Acad.*

do? sumptu,
Quis iussit? Regnans: quo procurante? Magistris;
Cur? cruce pro fractâ ligni: quo tempore? festo
Ascensus Domini; quis erat locus? hic vbi fisto.

b *Fox. Martyrolog.*

Verùm en tibi de hoc *Wolsæi* opere, b *Foxi* censuram, vt tanti viri authoritas fidem faciat. *Tantâ* (inquit) *sculptura & lapicidarum subtilitate, operis maiestate, materiæ fulgore, aureis asteriscis, & emblematis vndiq; enitebant omnia, vt si ad eum, quo concepta erant, modum omnia processissent, non modò studiosorum Collegijs omnibus, sed Regum etiam palatijs tenebras penè effundere viderentur.*

c Malcholmus *enim* Rex Scotię *animo erat erga has* Frideswidæ *ædes permunifico, quibus dedit villam suam de* Piddington *in Comitat. Oxon. Chron. & Cha. Fridesw.*

Quibus hic porrò hortorum elegantias morer, ambulacrorum varietates, virentium arborum ordinibus distinctas? Quid pascua fluminibus, flumina oloribus, piscibusq; commendata? Quandoquidem, etsi in hisce omnibus nullum isto Collegium vspiam sit beatius, maximorum tamen iam hospitum præsentiâ, certissimóq; patrocinio omnes videantur aliæ superari felicitates, & illis olim Regijs è Scotiâ beneficijs multò jam augustiora huc accessisse meritò videantur. Potentissimus enim Monarcha Collegij

area

area iam potitur: quam ferè totam prætervectus, tandem equo descendit, vbi quum Cathedra Regali vnà cum Diva conjuge, Principeq; *Henrico* consedisset, astante hinc Illᵐᵉ. Procerum, illinc lectissimarum Heroinarum corona, se coram exhibuit insignissimorum Academiæ Doctorum Senatus, veneranda vultuum gravitate, coccineo vestium fulgore, & ingenti multitudine spectabilis, qui omnes genibus subsidebant, dum Orator Academiæ publicus, ad terram etiam provolutus, Regias aures oratione amoris, obsequijq; plenissima aliquantisper detinuit. Præfatus imprimis Academicorum omnium nomine, "*Quod ardentibus sæpe votis à præ*
"*potenti Deo precati fuerint, illud iam*
"IACOBI *auspiciis etiam vltra vota*
"*se videri consecutos; conditionem Ecclesiæ*
"*suæ pacatam, Reipublicæ stabilitatem, A-*
"*cademiæ illustratam. Quam communi*
"*Britanniæ, suiq; omnium felicitatem, ita*
"*tunc vnico Regis intuitu se totam ipso-*
"*rum oculis repræsentásse, vt nescirent v-*
"*trum ipsis lætandum magis esset, qui*
"*tantâ fruerentur beatitate, an dolendum*
"*quòd tam impares se sentirent referendis*
"*gratiis. Sed vt Dei, ita esse eorum, qui*
"*Dei in terris vices obeunt, pro sua im-*

" munificentiæ beneficia largiri, sed hominum
" gratitudinem ex eorum modulo æstima-
" re. Neq; tamen Regem, Serenitatem su-
" am ingratis illuduisse indicaturum, si in-
" tima pectoris eorum penetralia int ro-
" spiceret, in quibus & constantem Regi
" amoris sedem, & immortalem illius be-
" neficentiæ aram consecraverant. Ipsis
" enim, qui ingenuum otium, & dulcia pa-
" cis studia sectantur, nullam maiorem
" videri debere beneficentiam, quàm
" quòd iterum Iani fores occluserit, &
" quasi solus memor publicæ cladis Europæ
" ab Ottomanico flagello imminentis,
" reliquos vbivis Principes privatis inter
" se odijs turpiter sævientes, ad commu-
" nem Orbis Christiani causam suscipien-
" dam splendido exemplo provocârit. Du-
" arum porrò gentium in hac vna Insula,
" tanquam gemellorum in vno vtero
" concertantium æmulationem, olim v-
" triq; funestam & exitialem, Iacobi
" solius auspiciis ita penitus sopitam, vt e-
" iusdem ne minima superstit scintillula,
" quam hæc vtriusq; Regni felicissima
" coniunctio non extinxerit: vt iam v-
" trinq; odys, inimicitijs, & insensis men-
" tibus æterno vale dicto, vtriusq; sit futu-
" rum inter se certamen deinceps religio-
" sum & minimè cruentum, vtri eorum
" essent gratitudine in Deum immorta-
lem,

"lem, pietate in Maiestatem Regiam, &
"amore beneficiiq; erga se invicem supe-
"riores. Hoc enim animo iam tum fuisse,
"semperq; futuros Britanniæ Incolas, qui
"hoc Iacobi beneficio felices facti, aureu
"hæc esse Saturni secula, & Fortunatas
"has solùm Insulas, illo iam regnante ar-
"bitrarentur. Et sq; merito sic arbitrari,
"cùm præter pietatem, clementiam, reli-
"quaq; pervulgatas illas, & in tanto
"Principe prope decantatas laudes, ne il-
"lud quidem desideretur, quod ad sum-
"mam Reipublicæ felicitatem requirit
"Plato, in Rege Iacobo etiam Philoso-
"phus: Vt in posterum antiquitatem
"omnem suos flere oporteat, Cæsares,
"Traianos, Antoninos, & si quos alios ha-
"buit Imperatores ob doctrinam in tantâ
"Maiestate non vulgarem, celebres, quod
"isti omnes, si cùm Iacobo conferentur,
"quantùm tempore anteibant, tantùm
"veræ puræq; literaturæ laude ipsum es-
"sent secuturi. Hoc liquere ex scriptis eius
"singularis doctrinæ & pietatis æternis
"testibus, quorum gloriam nunquam ob-
"literatura sit innumerabilis annorum
"series, aut fuga temporum. Ita eruditio-
"nis gloriam ad ipsum solum, sed eius
"fructum ad omnes pertinere; præsertim
"od literarum studiosos, quò Principis li-
"teratissimi amorem erga literas & lite-
rato

"ratos cumulatissimè experiuntur, eum "quidem tam gratum, & iucundum "Musas penè spretas & despectas colen- "tibus, vt non iam illud o tandum vide- "atur, vt eos diligat Princeps, sed Deus "quemadmodum Princeps. Quo loco Orator, postquam gratias egisset pro munificentia Regis vtriq; Academiæ communi, quibus honorificum jus duorum in Parlamento Burgensium concesserat, quantum *Oxonienſis* Academia de peculiari Regis benignitate gloriaretur, grata recordatione recen- fuit, *quod eorum Athenas Maiestati ſuæ* "præsentiâ primo nobilitare studuerit; quo "beneficio sentit, se Academia illa tot fe- "licitatis gradibus Sororem germanam "suam antecellere, quot seculorum lu- "stris attestante omnium historiarum an- "tiquitate, certissimè antecedit. Regi tan- "dem gratulatur adventum ad ista Ma- "iorum suorum imperfecta, sed tamen glo- "riosa monumenta, quorum inconsummati "parietes visi sunt gratulari sibi ipsis fu- "turi temporis cogitationem, quo posteri "visere, minoribusq; suis gestient ostenta- "re tecta illa, quæ magnus Hoßes Iaco- "bus impleverit: & vi ipsas Wolsei tu- "inas, quondam à præsentiâ Regis perfe- "ctionem adeptas, ita literarum ruinas à "literato Rege manum salutarem spera-

re

" veiuuebat; vt iſtâ ſaltem mundi ſene-
" ctute maiorem, quàm antehac dignita-
" tem & literis & literatis largiretur Reſ-
" publica, quæ vt à nutu eius tota pendet,
" ſic ad exemplum illius faciliè compone-
" tur. Ita futurum, vt Oxonienſis Aca-
" demia, quæ digito olim monſtrabatur
" prætereuntium, Chriſtianæ Columen Rei-
" publicæ, quæque iam ſplendet vt nun-
" quam illuſtriùs, floret nunc vt nunquam
" gloriosius, & gloriam deinceps ſuam
" conſeruaturam ſit æternùm, & IACOBI
" memoriam ad omnẽ poſteritatem tranſ-
" miſſura.

Quæ omnia dum ab Oratore copioſiùs percurrerentur, potentiſſimus Monarcha tam attentis auribus imbibiſſe, vultuq; tam benigno comprobaſſe viſus eſt, vt quod olim de *Cæſare varius Geminus*, multò iuſtiùs *Auguſti* noſtri ſit elogium; *Quod qui coram eo verba facere auſint, eius videantur ignorare magnitudinem, qui non auſint, ſingularem neſciant humanitatem.* Oratoris Panegyricum ſubſecuta eſt alta omnium acclamatio, *Iacobo* vitam, *Iacobo* gloriam, *Iacobo* æternam felicitatem cum Conjuge Soboleq; precantium: quorum ſonora vox repercuſſa ab arcuatis vicinæ Eccleſiæ lacunaribus, tanquam ex ſacro Dei

d *Seneca Controverſi lib. 7. cap. 6.*

Tri-

Tripode voce celesti comprobata, *Iacobo* vitam, *Iacobo* gloriam, *Jacobo* felicitatem æternam cum Coniuge Soboleq; iterabat felicitatem quam populus Regi precabatur, Rex populo viciſſim á Deo precaturus, ad Cathedralem Collegij Eccleſiam (ſolennis ea Regibus noſtris conſuetudo quoties in Epiſcopalis Sedis Civitatem commoraturi diuertunt) ſine mora deductus eſt, vbi in ipſo Templi atrio ad pulvinaria (quæ pro more ſumptuoſa vnà cum Sacris Codicibus apponebantur) humiliter proſtratus, diutiuſculè ſupplicabat; vt pote cnius ſacro pectori illud fixum incederat.

e Hor. *Od. lib. 3. Od. 1.*

« *Regum timendorum in proprios greges, Reges in ipſos imperium eſt Iouis.*

f *Qui libros de miraculis eius ſcripſerunt. Sed vetus erat dictum, Friar ergo a'y-ar, ac bona certe conſequentia vt refert* Mat. Paris.

Templum ipſum ſtatim ingreditur & novi hoſpitis, & antiquæ magnificentiæ majeſtate venerandum; eóq; magis quód *Fri ieſuide* (ex cuius celeberrimi monaſterij reliquijs ſolum eſt ſuperſtes) & nomen teneat, & ſepulchrum, multâ olim inviſentium & miraculorum (niſi f Monachi putidè mentiantur) frequentia celebratum. Quæ cæca Papizantium ſuperſtitio in putreſcéte piæ Virginis cadavere colendo, non nihil tamen attulit emolu-

molumenti ad alterius sanctissimæ fœminæ demortuæ ossa ab inhumanitate viventium vindicanda. *Petri* ea *Martyris* (*Oxoniensibus* multiplici doctrinâ pietatéq; dilectissimi) cójux erat, quam jam trienniò sepultam, *Mariani* temporis rabies, (cui non satis erat vivis sanctorum corporibus rogos accendere, nisi in demortuos etiam desæviret) è Poliandrio vexatam ex Legati Pontificij mandato [g] fædissimi sterquilinij operculo dehonestavit; quod eorum factum sugillationi huic verissimæ ansam præbuit.

Fœmineum sexum [h] *Romani semper amârunt.*
Proÿciunt corpus cur muliebre foras?
Hoc si tu quæras, facilis responsio danda:
Corpora non curãt mortua, viva petũt.

Cuiusmodi deinceps feritati vt occurrerent Orthodoxi, omnia pijssimæ matronæ ossa sedulò recollecta, in veneratissimo *Frideswidæ* monumento cum eiusdem ossibus permistim confuderunt, eo consilio vt alterius veneratio alteram à violatione immunem redderet. Nam olim istius Sanctulæ reverentia ita omnes superstitiosulos continuit, vt Dei citiùs numen, quam istius Deæ Monumentum violandum putârint. Quæ tamen

g *Nam incorrupti (si dijs placet) indices, non putarunt æquum vt eius ossa comburerentur, nisi constaret eam hæreses suas publice docuisse.* Vit. Archiepisc. Cantuar.

h A Romuli *cuius lupæ & lupanaria* Romæ *semper in pretio.*

men opinio non tam offium iſtarum quieti oportuna fuit quam exitialis olim *Danicæ Nobilitati* Britanniam totam infeſtanti, quorum à [l] tyrannide (circa annum 1402) *Ethelredus* Rex vt ſuos liberaret, eos per vniuerſum Regnum vno die vniuerſos interfici iuſſit. Cuius tragædiæ prologum acturus ipſe Rex, eorum duces *Oxonium* ad colloquium pellectos perfidè [k] interfecit; reliquorum magnam multitudinem *Frideſwidæ*, eiuſque hic monumenti patrocinio ſe concredentem, vna cum ſumma Eccleſiæ turri, quâ ſe tuebantur [l] concremauit. Sed genialem loci Deam, Eccleſiâ reſtauratâ, Reditibuſq; auctâ facilè placavit, donatâ inſuper [m] Chartâ amplarum immunitatum, qua Rex, vtinendij facinus excuſet, id a ſe factum aſſerit, ne Dani (*qui velut lolium inter triticum in hac regnopullulabant*, vnquam repullulaſcerent. Sed æterno Deo æternæ gratiæ, quod loho *Danico* per *Ethelredum* liberati, jam per *Annam Reginam* Danico verè tritico

i *Malmsb de geſtis Reg. Ang. lib. 2. fol. 40.*

k *Lelandus dicit* Haraldum *Regem huius cædis vindicem egiſſe vrbem diripuiſſe, Collegia donatum artiũ confregiſſe, quòd eruditos putaret cum Civibus in eâ interne cione conſen*

ſiſſe, Coment. in Cyg Cant. l Chron Frideswid.

m *Quam antiquiſſimo Anglo-Saxonico idiomate ſcriptam vidi inter chartas* Frideſwidæ. n *Sunt hæc verba Chartæ* Etheldredi *in Archi. Aed. Ch.*

&

& fruimur & alimur; cujus florentes Spicæ, tanquam Oliuæ palmites non modò ad Britanniam ornandam protegendamq; repullulaſcunt, ſed jam etiam hoc ipſo *Fridefwida* Templo in quo æterna *Danis* ex Britannia extirpatio intentabatur, ſoboles *Danica* maximè reſplenduit.

Rex enim vna cum Reginâ Principéq; dum è Navi Eccleſiæ verſus ſuperiorem Chori Baſilicam pergit, vt vota, quæ anteà priuatim nuncupaſſet, jam publicè cum populo ſuo communicaret, purpuratis ſex *Sacræ Theologiæ* Profeſſoribus cingitur; qui pretioſo Phœniceì coloris Conopeo, totidem argenteis arundinibus ſuffulto, Principes obumbrabant. Vtrinq; ſtant conſpicuis ordinibus Collegij Alumni, omni omnes candidis Epitogijs Graduumq; Academicorum Ornamenris inſignes ſuccedit Adoleſcentium Academicorum, natalium ſplendore, literarùmq; profeſſione nobiliſſimorum, ſplendidiſſima ſeries; quos inter, cum primis nominandi *Thomas Baro Wentworth*, *Brianus Baro*, *Themundiæ Deſpota*, *vtrorumq;* fratres *Somerſetij duo*, *duo Stewartii*, *Saimerii itidem & Sackvillii*; ſuauiſſimæ deniq; indolis *Dudleius* & *Greius*; Comitum

mitum omnes & Baronum præcipua ſpes: quorum reliquorumq; omnium illuſtris præſentia, vt Regis literatiſſimi gaudium, ita florentis Academiæ gloriam adimplebat. Scilicet hoc demùm eſt Rege frui, qui literarum Studijs ſtudioſiſq; delectetur: cuius exemplo eò quiſq; ardentiùs provocatur, quò Regi acceptiorem eſſe intelligit eam generis Nobilitatem, quæ cum Doctrinæ Virtutùmq; gloriâ conjuncta eſt, quam quæ nudâ parentũ gloriâ ſuæ indiga nititur. Senſit id olim [n] *Syracuſanus* ille, qui quum Mathematicis ſtudijs delectaretur, Regiam ſuam ſemper reperit multitudine geometricas figuras delineantium refertam. Senſit id *Alfredus noſter* qui quum ſe totum literis deveret, vt Academiam *Oxonienſem*, ſplendore, Regiæ patem effecerat, ita Regiam ſuam, doctrina ſimilem Academiæ: neq; enim ille [o] quenquam honorificis in reipublica munijs decorare dignatus eſt, quem literarum inſcitia dedecoratum animadverteret. Senſit id etiam iam pridem *Auguſtiſſimus Iacobus* qui ſua ſcientiarum excellenti peritia, in victu veſtituq; ſingulari modeſtia, Nobilium ſuorum animos ad ſtudiorum morùmq; ſuorũ ſimilitu-

n *Plutarch. de diſcrim. adulat. & amici.*

o *Guliel. de Regibus, & Fox. Martyrolog.*

similitudinem à levissimis voluptatibus non mediocriter traduxit.

Sed eccè dum Rex omnes & omnia oculis perlustrat, præ foribus superioris Oratorij (quod vulgò Chorale dicimus) ornatissimus Collegij Decanus *Dominus Doctor King* (Illum intelligo, qui nunc in concionibus regnat, quemq; Rex pietatis, doctrinæq; merito nuperimè eâ præfecturâ decoraverat) Regio conspectui se genibus submissis obijciens, tres elegantes gratulationum libellos manu prętendebat, quos Collegij sui nomine traditurus, carmine (quoniam & ipsi carmine decuderentur) succincto præfatus est. Cuius exemplar, quia mihi videre contigerat, alijs non invidebo.

Primus ego numero, meritoq; novissimus adsum,
Maxime Rex, coniux Regia, dulce genus.
Buius ab ore salus nostrorum publica fertur.
Sed neq; te, vobis sed neq; digna salus.
Hos quia plebs devincta magis quàm cætera turba,
E laribus nostris priva Camœna venit.
Rex aliis, nobisq; venis communis, eundem
Et Mæcenatem quisq; merendo feret.

Rex

¶ Reges enim Angliæ successivi Fundatores huius Collegii sunt & dicuntur.

Rex nobis, & Mæcenas, ¶ Fundator & Hospes,
Perpetuusq; pater (Magne Monarcha) venis.
Hæc tua sunt, quæ nos colimus præsepia, Centum,
Hic apibus sedes hospitiumq; tuis:
Hæc tua, quæ in nostrum libamus, pascua, victum;
Mella, tibi & patriæ quæ damus, inde damus.
Ergo favum offerimus non tanto examine dignum.
Nos examen apum (Dive Iacobe) tuum

Quibus publico Collegij sui nomine præfatus, Vnáq; librorum vnum Regi in manum porrigens, hoc statim distichon obsequij privati nomine subjecit.

Iamq; meos dedo tibi, Princeps, iure penates.
Tu mihi ius dederas posse vocare meos.

Ad Reginam mox & *Principem Henricum* conuersus, versibus idiomate patrio concinnatis, & munuscula (singulis enim singulos libellos tradidit) suum suorumq; omnium animos amore officijsq; plenissimos commendabat. Principes omnium ordinum perspectissimis voluntatibus delectari, nec vlla munera ampliora sibi videri

derii indicantes, quam quibus tam conſpicua publici amoris teſtimonia exhiberentur, in choro ſtatim à Reverendo Domino *Epiſcopo Oxonienſi*, Decano, reliquòq; Prebendariorum, & Candidatorum ingenti cœtu, ſacris hymnorum cantionibus excipiuntur; quarum ſuauiſſimis modulationibus & principum erga ſubditos, & ſubditorum erga Principes, & vtrorùmq; erga Deum, & Dei erga vtròſq; teſtatiſſimi amores concinebantur.

Sacras reliquæ Liturgie precumq; ſolennium Ceremonias celebravit ornatiſſimus Eccleſiæ Decanus. Quod ſacrum ab eo præſtitum officium, & ſingularis etiam viri doctrina, revocat mihi in memoriam illud non ille pidum quod de altero ejuſdem quondam Eccleſiæ præfecto *Guimundo* viro pererudito narratur, qui eandem præfecturam florente Monaſterio *Frideſwide*, occaſione conſimilis officij ſacri celebrandi aſſequutus eſt. Erat is *Henrici* primi à ſacris (officio, officij pleniore quàm emolumenti) qui animadvertens Regem in illiteratos plerunq; conferre ſolitum Epiſcopatus, dignitateſq; Eccleſiaſticas, die Rogationum, quum coram Rege ſacra

[*Chron. Frideſwide.*

t *Iac. 5. 5. v. 17.*

sacra celebraret, isq; t Apostoli locus occurreret, *Non pluet super terram annos* III. *& Menses* VI, ita notas distinguebat, vt legeret, non pluet super terram *annos vnum, vnum, vnum, & menses quinq; vnum*; ridentibus qui astabant Prælatis, & Regi lectione ineptâ suboffenso, cur ita legeret roganti? subridens ille, *quia* (inquit) *vos in ita tantùm legentes, beneficia & Episcopatus confertis*: cujus ingeniosi dicti veritate commonitus Rex, & deinceps cautior erat, & tum statim *Guimundum* ad Ecclesiæ *Fridæswide* & Monasterij Gubernacula promovebat. Cui argutiolæ (etsi παιγνιῶδες, quia tamen parallelum, & cautelam Ecclesiæ Dei salutarem suggerit) illud etiam subijcio *Davidis Lyndsæi* Equitis aurati, Scoti, u qui mortuo eo, qui principibus Scotiæ à vestibus erat, à *Iacobo* Quarto supplex petijt, vt illud sibi munus demanderetur: cui Rex *quid tu* (inquit) *cum istiusmodi artificio, cujus scio te penitus imperitum*? Ille contrà, *Fateor*, inquit, *imperitum me, sed putabam non magis referre vestibus præscire imperitum rei vestiariæ, quàm Ecclesiis præficere indoctos, rerumq; Ecclesiasticarum imperitos.* Eodem enim mane Rex ejusmodi fungos in Episcopos cooptârat.

u *Præmio poematum* Davidis Lyndsæi.

tâ rat. Sed feliciùs actum cum Regno Britannico, quod quamdiu doctissimum *Iacobum* habeat gubernatorem in Republicâ, metuere deinceps non potest indoctos gubernatores in Ecclesia. Quam Regis optimi curam hoc *Christi Collegium* sensit in hoc ipso (de quo diximus) Decano optimo, quem Rex, huc accessurus, solâ hominis probitate, doctrinâq; permotus, vnicâ anteà quindenâ ad Ecclesiæ istius gubernacula præmiserat.

Ab eo jam precum finitâ solennitate, Principes, quâ ingressi pompâ, eadem revertuntur ad extimum atrium, vbi dimissum Conopeum cedit (de more) in jus Regiorum Præcursorum; quemadmodum & rerum omnium apparatus, quæ primo in templum ingressu Regi supplicanti apponebantur, jure spectant ad Illustrissimum Equi Regij Præfectum; quo illustri munere jam fungitur Musarum & alumnus, & fautor, omnibus suavissimarum virtutum nominibus commendatissimus, *Comes Wigornius*. Quibus peractis, Principes in Regia cœnacula se recipiunt Hospitibus quidem beatissima, sed & jucundissimo hinc, in magnam Collegij aream civitatisq; tractum occidentalem, illinc, in-

in Theſſalicas floſculorum areolas, & Dædaleos herbarum Labyrinthos proſpectu commendatiſſima. Et (quod in proſpicientium oculos ſtatim incurrit, proſpectuſq; dignitatem addit) iſtorum hortorū parietibus proximè ad Eurum ſupereminet *Collegium Corporis Chriſti*, quod omnium *Oxoniæ* nitidiſſimum meritò audit; tùm ob totius ſtructuræ, Templi imprimis, & Periſtylij, & Bibliothecæ, atq; Aulæ concinnitatem, tùm propter Horoſcopij columnaris pulchritudinem, quod in areæ quadratæ medio, omni & ingenij, & operis varietate elaboratum, eminet. Cujus eò libentius mentionem facio quòd non modò à prima fundatione præſtantiſſimis literatum luminibus illuxerit, *Reginaldo Polo* ad Papatum electo, *Iuello* Papatum Archimaſtige, *Ludovico Vive* barbariei, *Richardo Hookero* ſchiſmatis *expulſore*, & illuſtri illo tam humanæ, quàm divinæ literaturæ *Theſauro, Iohanne Rainoldo*; ſed etiam quòd *Foxi* Fundatoris gloriâ memorabile ſit, quo *u* ſolo authore *Wolſæus* noſter quam olim tot miraculis viſenda Roma ad ſe pellexit. *Eraſm. in Epiſt. ad* Ioh. Claymundum *Præſidem Collegij Corporis Chriſti.* u *Mat. Park. in vit. Archiepiſc. Polydor. & alij.*

t *Quam Eraſmus poſtquam vidiſſet, de ea ſic ſcripſit.* Prælagit mihi animus futurum olim vt iſtud collegium toto terratū Orbe inter præcipua decora Britanniæ numeretur, pluresq; futuros quos trilinguis iſtius Bibliothecæ Spectaculū pertrahat Oxonium,

(*Foxi*

(*Foxi* enim Capellanus erat) ad tantam primò sublimitatem aspiravit. Quamquam ingratitudinis in bene meritissimum patronum notetur; quod illum, cum oculis senióq; laborans ab Aulæ Regiæ negotijs secessum impetrasset, clandestinis cuniculis ab Episcopatu *Wintoniensi* (cui ipse inhiabat) amolire satageret: callidas persuasiunculas obtendens, ac si præ oculorum infirmitate muneri Episcopali præstando impar esset. Cui sapientissimus senex per nuntium significari jussit x *quòd si ipse in senectute oculis orbatus candida & atra discernere non posset, meliorem tamen se intuitum quàm oculorum iam habere, quum cæcus ingrati hominis malitiam, quam oculis ante non prospexisset, jam animo cerneret. Cavendum autem esse magis Cardinali, quàm sibi, ne iampridem plusquam lippus, & tantis ambitionis tenebris involutus, in graviorem cæcitatem incidat, nec exitum suum prospiciat.* Sapientissimi Antistitis præsagium præmatura *Cardinalis* ruina comprobavit. Sed alia maiora sunt quorum gratia *Foxi* recordationi inhæreo, & quorum nomine, nomen ejus, & Britannis omnibus esse debet, & *Oxoniensibus* certè est omnium acceptissimum: non tàm (quæ

x *Mat. Parker. in vitis.*

y Erat enim Henrico Parisijs exulanti intimus á Conciliis, & in Regijs virtutum disciplina institutor charissimus.

z Quod Historiæ aliæ confirmant: & Polyd. Virg. ex ipsius Henrici 7. relatione scribit.

tamen res magni est) quòd y ejus imprimis consilijs *Henrico* septimo & animus, & aditus datus est ad imperium, quàm quòd ejus z solius prudentia, præsidijs, auspicijs, felicissimæ, quas vnquam Britannia vidit, nuptiæ confectæ sunt inter *Margaretam Henrici* Septimi filiam, & *Iacobum* Quartum Scotiæ Regem, *Iacobi* nostri proavum: vt quicquid felicitatis, aut Regnum Britannicum ex *Iacobo* Rege, aut *Rex Iacobus* ex Regno Britannico adeptus sit, ejusdem non mediocrem gratiam *Foxus* jure vendicare possit: Foxi quidem ea in re Consilio, plerique tamen Consiliarij Regis restiterunt, suspicati, aliquando posse contingere, vt hæreditas Regni, Margaretæ obveniret? *Quid tum?* (inquit Rex) *videt futurum, vt nostrum Regnum nihil inde damni faciet, quoniam accessio Angliæ non ad Scotiam, sed ipsius Scotiæ ad Angliam fieret, tanquam ad totius Insulæ caput multò nobilissimum.* Quod prudentissimi Regis Vaticinium, & sapientissimi Foxi consilium, propitia Dei benignitate, & *Iacobi* Regis Optimi Clementia, eventus felices, post tot annorum lustra consecutum, læti cernimus. Sed Potentem Monarcham, post tædia itineris se ex-

naculo

naculo reficientem, paulisper relinquat oratio; invita quidem, nisi quod *Iacobi* Britanniæq; vnâ suavissimam spem, *Henricum Principem* sequutura sit ad Curiam suam (in magnificentissimo *Collegio Divi Magdalenæ*, extra Portam Civitatis orientalem sito) commeantem. Etenim ea solennis est Maiestatis Britanniæ consuetudo ne Principes vnâ (quamvis capacissima) Regiâ excipiantur; sed vt singulis singula palatia destinentur, sic vt pauculis mutatis verbis, meritò illud de *Pompeio* & filijs, sed sensu multò feliciore vsurpari possit.

2. *Quid mirũ tota si spargitur vrbe teneri* 2. Mart. Ep.
Vno non poterat gloria tanta loco. 5. 76.

Itáq; Principis Excellentiam Comes Illustrissimus atq; idem optimus *Wigornius*, Equi Regij Præfectus, & *Dominus Knowlesius Baro*, Regiæ Thesaurarius, deducunt; Comitantur verò *Oxoniensis*, & *Essexius* lectissimi dilectissimiq; Comites. *Vicecomes Cranbornius Roberti Cecilii*, Comitis πολιτικωτάτου, hæres, *Schefeldius*, *Haringtonius*, *Howardus*, *Brusius*, cum reliquo Britannicæ juventutis flore, è Principis famulitio; sed cum primis virtutis doctrinæq; ergô nominandus *Thomas Chalonorus* Eques Auratus, Principi in

disciplinarum omnium; virtutum regiarum institutione honorarius præfectus, quo viro meritò gloriatur

[a] Fundatum enim circa an. 1460. sub Hen. 6. cui Wainfletus Fundator, tũ Regni summus Cancellarius, ab intimis erat Regiq; etiam suadebat, vt hic Omnia Collegium aliquod extrueret vellet. Cui Rex, Immo Cantâbrigiæ inquit, potiùs

Collegium Magdalenense, vt etiam innumeris alijs, quos intra a lustra annorum non multa in Rempublicam Ecclesiamq; transmisit alumnis. b Archiepiscopis scilicet duobus, ijsdemque Cardinalibus, Episcopis viginti duobus, Foxo Martyrologo, Laurentio Humfredo aliisq; verum jam non tam Alumnis quos emisit quàm Hospite & Alumno, quem jam admittit gloriatur, nec se beatum minùs censet præsentis Henrici Principis Hospitio; quàm & alterius Henrici Principis beneficio, qui olim hanc ipsam sedem Laribus Hospitalibus consecravit. Collegium ab Euro altissimi pidissimus rivorum Cherwellus (is alter ex parentibus Tamisaci flubrigiæ inquit, potiùs

vt ita duas fi fieri possit, in Regno Acad. habeam,

b Regist. Coll. Magd. 2. Iterat Hen. 3. qui circa ann. 1230 (quo loco iam Collegium est Magdalenæ) Collegium & Xenodochium nobile extruxit suaq; manu primum lapidem posuit, & in memoriã patris sui Regis Iohannis, nomini Sancti Iohannis dicavit, & Asyli prærogativa donavit, omnesq; fere mulctas hic delinquentium addixit. Mat. Paris p. 526. & Chart. univers.

minis

minis habetur) qui Pontem Civitatis orientalem Collegij parietibus imminentem, subterfluens, compascuis proximis cum *Iside* conjugatur. Ipsa mœnia ex quadrato lapide fortissima pinnisq; ornatissima, tam immensè se protendunt in Aquilonem tantumq; ædificij, arboreti, pomarij sinu continent, vt procul contuentes, non tam Collegium, quàm vrbeculam eorum complexu comprehendi putent. Ad alteram fluminis ripam, quę Collegio privato ponte adnectitur, vndi unq; viridaria pascuaq; fructu commodissima, ambitu spectatúque multò gratissima, sed imprimis ambulacra, multo, vt patet, opere & sumptu, sed majore elegantiâ aggesta, & sepium arborúmq; ordinibus fluminisq; vndiq; spiraculo & murmure jucundissima.

Nec in primo aditu deliciæ oculorum minùs pellices. In area exteriori introeuntium oculis obijcit se amplissimum frontispicium, tribus porticibus magnis insigne; quarum altera quæ à læva (in aream interiorem ducens) vti & media vivas supernè statuas exhibet, & [c] *Waynfleti* laudatissimi Fundatoris, Episcopi olim *Wintoniensis*, hujusq; Regni Summi

c *Cuius vitã resq; gestas eleganter scripsit Clarissimus* Buddenus *in gratiam Collegii; cuius laudabile factum cæteris Collegiorum alumnis exprobrare videtur quod celeberrimorum Fundatorum beneficiis frui malint, quam eorum insignia facta & quantivis pretii historias posteris piè commendare.*

Cancellarij; & *Mariæ Magdalenæ* Servatorem alablastri, & (quod acceptius erat) lacrymarum vnguento demulcentis. Nam hujus lacrymantis Divæ nomini (rectiùs quàm Romani, qui Templum Deo *Ridenti* & d *Ridiculo* posuerunt) Collegium suum consecrabat. Altera ad Templū ducit, lapicidarum elegantijs, Testudinum politurâ, Alarum varietate, Pyramidum multitudine, Campanilis spectabili sublimitate laudatissimum. Ad quam porticum, ornatissimus Collegij Præses *Dominus Nicholaus Bondus*, Sacræ Theologiæ professor, & ceterum studiosorum sodalitium (qui Fundatorij alumni censentur sex supra numerum centenarium, præter amplum Nobilium adolescentum gregem) omnes suis ordinibus dispositi Principem venientem excipiunt: cujus adventu quantum lætitiæ conceperint, quantumq; sibi gratularentur, *Magister Iacobus Mabbe* publico Collegij nomine, eleganti oratione, alij carminibus propalam affixis testabantur. Inde in aream Collegij interiorem eandemq; amplissimam pergitur; quadriformi ædificiorum ex quadrato lapide Claustrorumq; spectaculo, & duplici parietum

d *Narrant Historici Hanibalem Romam petentem, noctu ictmurum cachinnis, qui si infausto omine perterritum rediisse ibiq; Templum Romanum posuisse Numini, quod alij* Ridiculum *dictum volunt à risu audito, alii* Ridiculum *à reditu Hannibalis.*

etum pinnarumq; ordine insignem. Tibicines speciosi, qui frequentes hinc gula latera & præmuniunt & adornant, ipsi hieroglyphicis, & penè spirantibus animalium imaginibus adornantur, quæ ita è vivo lapide vivis coloribus justa omnes magnitudine expressæ sunt, vt ad *Mosis* effigiem togâ cœtulâ deformati, Rusticanum apereo capite accessisse certissimâ oculatorum testium fide constet, & vt sibi (nescio quò eunti) viam indicaret, summisse petisse. Ista verò *Mosis* statua *Theologiæ Professio* designata est, cui à dextra (sed suis intervallis) visuntur *Jurisperitus* c caput lineo tectus operculo clientem emungens, *Medicus purpuratus* phialam vrinariam contemplans, *Pædagogus* denique è Cathedra

c *Linteum Capitis tegmen antiquis est indumentum eorum qui honestiore loco aliquo officium Servientium exercebant.* Sic olim in duebantur, Servientes *Universitatum quos dicimus* Sarjaunts of the Law,

credo ad sudores discursantium desiccandos, primo usurpatum, postea in dignitatis notam cessisse. Legi etiam morem hunc è Gallia huc traductum. Nam Philippum Sancti Ludovici filium Regem Gallia anno 1277 decrevisse, ne causam agerent in foro Regio, nisi qui supplicio affici potuissent à judice seculari, si forte requisiti agerent, ideo leguleios vt se isti pœnæ obnoxios esse, nec Clericali privilegio frui ostenderent, vt indumentis vsos fuisse, quibus à Clericis distingui possent, hoc est, lineo capitis tegmine & Veste bipartiti coloris quæ vtrag; Clericis prohibebantur; Clem. 2. de vit. & honest. Cler.

supercilioſus, qui ſinguli facultates ſuas deſignabant, quas tamen non magis quam lapides callebant. A læva Theologiæ, ludos agit *Morionis* imago, vultu veſtitúq; ridicula, quæ notari videtur voluiſſe author myſticus, prudentium eſſe clariſſimis artibus inſudare, etſi fatuis inſcitia ſua arrideat, ſeq; nugamentis delectent, prudentiam aliorum contemnant. Præfidis ædibus præfiguntur (vt cetera illa omnia ingeniorum cruciamenta alijs Hermetibus relinquam) hinc tot vus *Leo*, illinc *Pelicanus*, qui e roſtro ſibi pectus pertundens pullulos ſuo ſanguine fovet, vt literatæ juventutis præfecti moneantur, ex illo quid poſſint, ex iſto quid debeant erga ſuos, & ex illo vigiles forteſq; agere adverſus malè meritos, ex iſto mites & amantes erga bonos: Sed eſſe Leones omnes experimur, an tales ſint vſpiam

c *Certum eſt Pelicanum ab Ariſtotele, Plinio, aliiſq; omnibus deſcriptum, habere roſtrum vulneri infligendo ineptum. Ideoq; Geſnero putatur eſſe avis, quam Shuſſer Germani dicunt quod roſtrũ habeat tatillo (quod nos etiam Shovell dicimus) ſimile, quum contra pictores efforment roſtro peradunco. Quod tamen hieroglyphicum (quia frequens eſt & nobiliſſimi apud nos Collegij etiam Symbolum) alio Hieroglyphico, quantum poſſum ſuffulciam. Nam Orus in Hieroglyphis refert Ægyptios vulturi imputare, quod è fœmore ſanguinem roſtro extundat, eoq; pullos ſamelicos ſaturet, ideo non in hiſtoria ſedis nomine error putandus eſt.*

Pelicanus

Pelicani non sine causa dubitant qui sunt naturæ à secretis. Gesner de avibus.

His à Principe transeunte perlustratis, ad ista Præsidis Conclavia (Excellentiæ recipiendæ destinata) deductus est: ubi literarij palestritæ tanto arbitro in disputationum certamine concertant. In quo *Gulielmus Seymerus*, *Hartfordiæ Comitis* ex *Beauchampio* filio nepos natu minor respondentis stationem tuebatur. *Carolus*, filius *Comitis Wigorny*, *Edwardus Hartfordiæ Comitis* ex *Beauchampio* hæres, *Robertus Gorgius* clarissimi *Thomæ Gorgii*, equitis aurati, & præcellentis *Marchionissæ Northampton* filius, *Chaloneriidue*, & *Gulielmus Burlosius*, Equitum insignissimorum filij (adolescentes omnes natalium splendorem indolis virtutumq; præstantiâ æquiparantes) amentatis argumentorum hastis strenuè irruebant. Quâ velitatione pugnâ Excellentia ejus vultu & animum suum voluptate pascebat, & quantâ cum voluptate Nobilissimi Adolescentes operam in optimarum artium studijs collocabant, ex quibus solis vera nobilitas comparanda est, intelligebat; manumq; mox tanquis & gratiæ suæ & eorum meriti testem, singulis deosculandam exhibuit.

Et ita certè habet (ô vnicum & Patris tui, & Patriæ tuæ delicium *Henrice!*) quicunq; futuræ maturitatis fructus eorum in tenellæ ætatulæ herba spes eluceat; jam nunc jaciendа fundamenta, quibus deinceps splendidam virtutum Architecturam inniti oporteat. Sine Doctrinæ verò Pietatisq; basi quadrata, & constanti, quid solidi in actionibus, quid prosperi in fortunis humanis sperari potest? Sed vtriusq; grandia in ætate tua non grandi indicia, adeò certò & de te optima, & nobis prospera pollicentur, vt non tam per te felicitatem sperare, quàm eam jam in te consecuti videamur. Macte verò & literas tui causâ, & Reipublicæ causâ literatos amplecti; cumq; natus sis ex Patre verè Sopho, & Matre *Sophie* verè filiâ, cogita te quoq; felici omine ad *Philosophi* sperandum nomen provocari; vt Britannia nostra etiam nostrum *Bellosium* altero iterum *Hentatum* imperitis, hunc Grantæ vendicet. *Cum constet Henricum hunc diu regnum tenuisse antequam* Croylandensis Ieffredus *Grantanum bonorum conduxisset, quo discipuloi in primis artium rudimentis institui curavit.* Ex quo parvo fonte (inquit *Historia*) Plurimos nunc videmus Magistros & Doctores de Cantabrigia exeuntes ad similitudinem Sancti Paradisi-

g Reginæ Annæ *mater* Sophia Regina Daniæ. *Sea & è Græcia Sophiam Reginam* Anna *sapientissima vivide exprimit.*

h Henricus *filius W. Conqueſt.* Bellocleric us *dictus ob singularem eruditionem, quâ in hac Academia consecutus est. Quanquam sciam esse, qui antiquitatum Bellosium* alterò iterum *Hentatum imperitis, hunc* Grantæ *vendicet. Cum constet Henricum hunc diu regnum tenuisse antequam* Croylandensis Ieffredus *Grantanum bonorum conduxisset, quo discipuloi in primis artium rudimentis institui curavit.*

rico

rico Bello-clerico glorietur.

Sed vt instituto pergam dum ista *Collegio Magdalenensi* peragunt ur, alius Academicos labor avocat, theatrico apparatui (quo Principes à cœna excepturi erant) intentos. Locus Scenæ præstitutus erat Aula *Ædichristiana*, quia & spatiosissima, & cœnaculis Augustalibus vicina. Habent enim vtraq; Propylæum commune, quò duplici latissimorum graduum ordine ascenditur, quod propter Turris, arcuumq; sublimem amplitudinem, columnæ vnicæ incumbentium, peritissimos Architectonices attonitos tenet. Multiplices autem illius Turris concamerationes, *Wolsæus* totidem scholas esse voluit, linguarum triumque facultatum septemq; etiam Artium Liberalium, & Philosophiæ pro-

nam adeo brevi accrevit, vt regnante Ed. 1 de studio Grauntbridge facta esset vniversitas sicut antea fuerat Oxonium per Curiam Romanam *Verba sunt* Petri Blesensis, Roberti de Remington, Cambdeni in *Icenis, nec vtcunq; crepet Londinensis Arbiter, ante illud tempus vllum erat apud Icenos Academiæ vestigium. 1 Huius pars grandis (cum hic D. Elizabetha an. 1566. spectaculo interesset) decidit ex infinitæ multitudinis confluxu & pondere. Cuius ruina permulti partim enecti, partim membris miserande contusi, quum toto iam Regiæ commorationis tempore (Deo sic propitio) nemo aut hic aut vllibi, (quod in tanta frequentia peccatum est) vel levissimam læsiunculam pateretur.*

sessoribus

fessoribus. Nec e. hic tam Collegiū, quàm alteram ferè Academiam in Academiâ constituere præstituerat; eumq; in finem lectissimum totius Universitatis florem, deljbatum huc transtulit; non nullos etiam *Cantabrigia*, vbi literis non infeliciter operam dederant; sed quum propter fortunarum inopiam, studijs persequendis pares non erant, Cardinalis supplicibus eorum precibus, & amicorum sollicitationibus permotus hic inter suos sedem subsidiumq; magnificè concessit. Quin aulam ingredimur? Turba adstantium impedit; perrumpimus sudamus, intùs sumus. Interiora Aulæ dubium ampliora sint loci spatio, an Fundatoris sumptu, an artificum solertia. Fenestræ octodecim operè picturato amplæ, & sublimes; Aulæ totius ambitus supernè,

k *Manil. l. 1.* k *Seu nitet ingenti sletarum balteus orbe,*

quasi continuis fascijs desculptorum artis Heraldicæ ancylium præfulgidus: laquearium pensilia triplicatis intervallis deaurata, omniúmq; emblematum varietate rutilantia. Istà (si alia hic spectacula non essent) satis essent spectaculo. Partem Aulæ superiorem occupavit Scena, cujus Proscenium molliter declive (quod actorum

actorum egressui, quasi è monte descendentium, multum attulit dignitatis) in planitiem desinebat. Peripetasmata Scenicáq; habitacula, machinis ita artificiosè ad omnium locorum rerumq; varietatem apparata, vt non modò pro singulorum indies spectaculorum, sed etiam pro Scenarum vnâ eâdemq; fabulâ diversitate subitò (ad stuporem omnium) compareret nova totius theatralis fabricæ facies. Machinæ, quibus ista omnia latè obtegebantur, tam artifici manu & suspensæ erant & depictæ morantibus quasi nubibus, vt eas [a] *Sole Britannico* statim ingressuro, aufugientes putares, ipsumq; cœlum videre crederes, nisi [b] *Cynthiam* & *Sydera* mox inferiùs fulgentia contuerere. Ab infimis Aulæ tabulatis vsq; ad summa laquearium fastigia cunei parietibus ingenti circuitu affiguntur; mediâ caveâ thronus Augustalis cancellis cinctus Principibus erigitur quem vtrinq; Optimatum stationes communium: reliquum inter thronum et theatrum interstitium Heroinarum Gynæceum est paulò depressius. Regi Regináq; ingressis, vnà cum *Henrico* Principe (qui illuc à cœna essedo advectus est) incredibiliq; omnium

a *Iaco. Rege.*

b *Reginam Annam cum Heroinis.*

nium ordinum multitudine cuneos caveámq; occupante (adeò vt ipsi spectatores essent spectaculo) ab ejusdem Collegij Alumnis (qui et cothurno tragico et socco comico principes semper habebantur) *Vertumnus, Comœdia faceta ad Principes exhilarandos exhibetur. In qua tres rivales *Pomonæ* amorem ambiunt. *Chetilus* poeta vanus, *Sylvanus* benè potus, et *Vertumnus*: hic multiformi illam fuco aucupatur; primò Piscatorem, deinde Aulicum, tertiò militem induens, vt eam in amorem pelliciat: sed hisce dolis voti minimè compos, postremò Virum exuit, et Mulier mulierem aggreditur, illâq; sub specie mirabiles amores sui apud *Pomonam* concitat: quo facto, seipsum prodit, et *Vertumnus* ipse ipsâ potitur *Pomonâ*.

*Huius Comœdiæ author Dr Gwin Iohannensis.

Cui fabulæ quum deesse nihil ingenuarum deliciarum quibus aut aures aut oculi deliniri cuperent (quod erudiri ex ipso argumento coniectabunt, & si è melo, quod speratur, emerserit, facilè intelligent) tum nihil Academicis, & Aulicis omnibus iucundius esse potuit, quàm quod in *Principum* pectora (vnde, propitio Deo, omnia nostra gaudia promanant) lætitiæ rivulos vicissim refluere

re tam liquidis testimonijs animadverterent. Qui enim ingentes Regum molestias non intelligunt, ijs ingenia videntur valdè stupida; sed qui tantis molestijs sua solatia, & quasi avocamenta necessaria esse non inintelligunt, eos nihil intelligere quivis intelligat. Illud autem, etsi fortuitum non tamen prætereundum, quòd cum columbæ aliquot (fabulâ sic exigente) è transcenna emitterentur,

(*Aspicis vt veniant ad candida tecta columbæ;*)

earum vna Reginam (pectus verè candidum, & columbinum) petijt, ejusq; cathedræ insedit, vt multos columbam aut arte fictam (vti illam Architæ) aut arte doctam, [k] vt illam Mahometis asseverantes audierim. Quid multis? omnia placebant omnibus, nisi qui aut non intelligerent, aut somnum potiùs quàm sales appeterent. Rex autem in serijs semper, jam etiam ludis vigil, postquàm luculento manuum applausu, vocisq; testificatione omnia comprobâsset, quem deinde regina, Princepsq; ceteriq; subsequuntur, discedunt omnes, vt oculos (media enim nox erat) in crastinæ diei spectacula refocillarent.

[k] Quam Mahometes ex *aure sua grana tritici rostro excipere edoctam, postea auriculæ frequentius rostrum iniicientem, fingebat spiritum fuisse sanctũ qui ei esset à Deo nuncius, omniaq; ei insusurraret.*

Acta

ACTA SECVNDÆ DIEI.

POtentissimus Rex qui moram suam in Academia Academicis exercitijs totam addixerat, vt Musæ se non modò Regem jam patronum habituras, quem antea habuissent alumnum, sed etiam cum *Iacobo* quasi in eodem imperij fastigio se collocatas intelligerent: sequenti aurorâ, quæ Theologicis disputationibus deputatur, ipsos Theologiæ Professores accelerationè penè antevertit. Ad Divæ *Mariæ* (quod Templum istiusmodi Academicorum celebritatibus peculiariter inseruire solet) longo platearum pulchrè patentium circuitu, Principes singuli singulis curulibus pompâ regiâ deducuntur, relinquentes (post Quadrivium superatum) duo, ad lævum plateæ diuerticulum, Collegia; alterum *Cambro-Britannicum*, *Iesu* nomini consecratum; alterum *Lincolniense* dictum, præclarum *Richardi Fleming* & *Thomæ Rotherami* Episcoporum Lincolnæ:

Lincoln: opus quo vix aliud cocinnius, aut pro tantula magnitudine elegantius: quod felicibus auspicijs, à pijs Præsulibus positum, optimorum Ingeniorum laude jam inde semper viguit, & nunc floret maximè. Ea Divæ Virginis Ecclesia à foro Quadriviali versùs portam Civitatis orientalem, ad lævam medio fere intervallo, loco, ad vsum (centrum enim ferè est omnium Collegiorum) amplitudine, ad capacitatem, structurâ, ad dignitatem (vt par erat) commodissime sita est. Ejus nulla pars est quin ad Academiæ negotia obeunda peculiarem sui vsum ministret. Navis Ecclesiæ (vt quæ capacissima) & assiduis concionibus deservit, & annuis (quum illustria *Graduum Academicorum* Insignia conferuntur) [m] *Co-*

l *Mense Iulio quotannis tridualis est illa comitiorum celebritas.*

m *Sic veterum Romanorum more appellant Oxonienses, Anglice tamen* Acte, *quod vtcunq; ad gradus ante designentur, eos tamen actu & complete non assequantur, nisi in comitijs. Celeberrima* Cantabrigia *maluit vti Gallica voce* Commencement, *vt satis liqueat eam ad Aurelianensis studij exemplum per Gallicos Monachos primo formatam: vti testatur veteris ad Ingulphum appendicis Autor. Petrus Blesensis, &* Camb. *in* Cantabridg. *Hoc etiam in gratiam illustris studij* Aurelian. *addam. Illud 300, prope annis antiquius esse, quam a* Middendorpio *fertur, qui excitatum dicit à Philippo Pulchro 1312. quum Hen. 1. (cuius tempore constat Monachos istos* Cantabridg. *Academiæ fundamentis primis*

mitijs

miciis Quorum ea frequẽtia, sive spectemus *Candidatorum* multitudinem, siue eorum qui ex remotissimis Regni partibus omnium ordinum innumeri illuc confluunt, sive exactissima in omni disciplinarum genere γυμνάσματα, vt totius regni habeatur celeberrima n ναυήγια Ala (aut si mavis remigium) Navis, boream spectans, Cancellarij Vniversitatis celebratur, cui, beneficentiâ Principum quorum singuli cum succederent prædecessores suos aliquo privilegij additamẽto superare contendebant) tantæ indultæ sunt immunitates, vt non modo omnium o *Academicorum*, eorùmq; famulorum causæ quibuscunque controversæ ibi transigantur, sed nec eorum cuiquam ad aliud p quodvis regni Tribunal dica intendi possit ne in q cædis quidem, aut proditionis causâ, si *Academia* rei iudiciũ sibi vẽdicârit. Chorus

iaciendis, imitatos esse formam studii Aurel) mortuus sit ann. 1135. Sed videtur Phil. Pulcher Justo Vniversitatis privilegio primo donasse Scholam parvis ante initiis nixam.

n *Nihil habet terrarum orbis in eo genere aut vitu solennius aut ad speciem pulchrius inquit de comitiis Oxon. Fierbertus.* o *Chart. Hen. 3 anno reg. 28 Maij, 10. & Cb regum aliorum.* p *Chart. Hen. 4. anno reg. 2. Maii. 13, vbi permittitur Cancellarii voluntati an modus procedendi esset secundum leges Regni, vel consuetudines Vniversitatis.* q *Chart. Hen. 4. anno reg. 7 Iun. 20.*

(quæ

(quæ pars Eorum spectans) peculiaris est publico Academiæ Concilio, quod *magnam* [r] *Convocationem* dicimus, quâ Præside Magnifico Cancellario, ejusve Procancellario, *Theologiæ, Medicinæ, Iurisprudentiæ* Doctores, *Artium, Magistri*, quotquot in Academia, in vim juramenti ad negotia Vniuersitatis maxima, si quæ occurrant, obeunda conueniunt, graduum insignibus ornati. Cui versus Septentrionem adjacet *Domus Consilii minoris*, quod *Congregatio Magistrorum Regentium dicitur* (Candidati enim primo biennio Regentium titulo honorantur) quorum censurâ, & quotidiana Academiæ negotia expediuntur, & eorum qui ad Graduum honores aspirant, scientiæ, mores, merita, exactissimè, idq; sub perjurij plurimorum periculo, expenduntur. Ad Chori intergerinum Principibus Basilica exquisito splendore & aulæis fulgentibus apparatur, ita vt ejusdem

[r] *Dum non Campanæ modo pulsatæ signo sed Bedellorum etiam denuntiatione ingulis Collegiis ter repetita solenniter admonetur, cum Cæcilia minora Magnæ Campanæ tantum monitione inditæ cantur.*

[*Merito taxabat Fulvium Cato quod is leuissimis de causis coronas militibus daret, quæ nisi capto oppido dari non solebant Gell. li. 6. c 6. Vtinam omnes Academiæ in laureis suis conferendis idem considerarent. Nam (vt ille de Adriani indocto scriba) potest Cæsar honorem dare Rhetorem facere non potest. Dion. in Adrian.*

com-

compaginatio vnà cum ingenti cunctorum sublimium circuitu, qui ad parietes, & columnas templi suspendebantur ad lectissimam Spectatorum multitudinem excipiendam, spectum exhibere planè Amphitheatralem. Regi, à læua, Princeps adfuit *Henricus*, à dextra, Illustrissimus *Christopherus Harlayus* Comes *Beaumontii*, Consiliarius *Francorum Regis Christianissimi*, ejusque legatus apud Serenissimum Magnæ Britanniæ Regem, & *Dominus Nicolaus Molinus Legatus Serenissimæ Reipublicæ Venetorum*. Vtrinq; vltra Basilicæ latera, splendidissimis Comitibus, honorificentissimis Conciliarijs, lectissimis Heroinis, illustrissimis Baronibus, suæ sunt Orchestræ, aureis tapetibus præfulgentes: præ reliquis, ad dextram, Magnificentissimo *Academiæ Cancellario* Cathedra sua honoraria; eodemq; latere sed tractu depressiore, Eximius Procancellarius, & venerabilis Doctorum in *Sacra Theologia* series, quæadmodum & ex adverso latere in *Medicina Jurisque-prudentia Professores* subsellia obsident. Quorum omnium purpuratus ordo tantâ multitudine, toto coronæ circuitu præfulgebat, vt Templum istis purpuris, quasi aulæis

læis splendidissimis circumvestitum judicares. Ad lævam porrò, insignissimis *Procuratoribus* suæ Cathedræ; *Respondenti* etiam (sed propiùs ab Augusto Solio) & *Moderatori* suæ: itidem ex adverso, *Opponentibus* sua subsellia. Areâ vndecunq; mediâ, ingens eorum concedit agmen, quos *Magisterij* in *Artibus* dignitas ornauit: alijs enim inter istos cancellos nullus aditus, neq; horum cuiquam nisi *byssinis graduum insignibus, pileoq; quadrato ingredienti*. Theses, quas Rex ventilari voluit, fuere duæ, Prima:

Sancti & Angeli non cognoscunt cogitationes cordium.

Secunda,

Grassante peste, non tenentur Ecclesiarum Pastores invisere ægros.

Quarum Thesium alterâ, figmentum Pontificum discuti voluit veræ fidei verus [t] Defensor, quo in nuncupandis votis, reliquaq; animi devotione ascribunt Angelis eam cogitationum nostratum intuitionem, quam asserunt Orthodoxi, nisi soli cordium scrutatori Deo, sine sacrilegio tribui

[t] *Defensoris fidei titulum Henrico 8. primum datum a Papa mentiuntur Pontificii, quum ex Academiæ nostræ Chartis, liquidum sit nomen illud frequenter a nostris Regibus antiquissimis vsurpatum fuisse.*

[u] *Novimus enim qui homines (alicuius quidem notæ sed frõtis nullius) sic apud exteros comminiscebantur, sed* Papizantes *mentiri non est mirum qui Æquivocationem, (id est Protestantium idiomate)* mentiendi artem *scriptis publicis defendunt.*

non

non oportere. Quid ergo? Num hoc est in celeberrimo Theologorum senatu quærere, [u] *An Angeli habent aures?* Aures quidem habent Bœoti isti, qui ista calumniantur: quod pecudum genus, licet ita benè auritum, pessimè tamen cum audiat, de rebus optimis non potest non pessimè loqui. Alterius quæstionis scrupulum subministrabat quædam væcordia curiosulorum, qui, Peste gravissimè tum quiente, affirmarunt Fidelium neminem, nedum Ecclesiæ Pastorem, eorum consortium fugere debere, qui ex morbis quanquam cetissimo pestilentibus decumberent. In quibus ventilandis, sub præsidio eximij Procancellarij, Respondentis munere defungebatur acutissimi vir ingenij *Dominus Iohannes Aglionby*, Sacræ Theologiæ Professor, & *Aulæ Sancti Edmundi* Præfectus. Opponentium partes obibant *Dominus Doctor Holland, Regius Theologiæ Professor, Dominus Doctor Thomson* Decanus Ecclesiæ *Windesoriensis, Doctor Feild* Regi à sacris ministerijs, *Doctor Harding* Regius professor in lingua Hebræa, *Doctor Rives* Custos *Collegij Novi, Doctor Airy* Præpositus *Collegij Reginæ:* quorum numero accensebatur perillustris vir

Dominus

Dominus Gordonius Hamiltæus Decanus Sarum regio Scotorum sanguine oriundus, quem multiplici doctrina virtuteque insignem nuperrimè Sacræ Theologiæ honore Doctorali decoraverat Academia, statueratque communi decreto, vt ei in istac disputationum celebritate, Doctoratus insignia traderentur, eo consilio, vt Rex aliquas antiquissimæ suæ Academiæ consuetudines prægustaret. Ista creationis (nam sic appellant) solennitas primò peragitur, quam insignissimus in Sacra Theologia *Professor Regius* (cuius id munus est) à succincta conciuncula (pro more) exorsus est, qua istam *Pauli* aureolam sententiam dilucide explicuit, x *Qui benè ministrant gradum bonum sibi acquirunt, & multam fiduciam quæ est in Iesu Christo.* In qua, postquam Principes suis quemq; sigillatim eulogijs breuiusculè celebrasset, luculenter exposuit quanta cura prudentiaq; prouideri oporteat, vt dignitatum Gradumq; prærogatiua conseruetur ijs eisq; solis, quibus vitæ, virtutum, literarumq; merita suffragantur ad honores tum in Repub. tum in Ecclesia, & Academia consequendos. Ijs verò, qui sibi præmij spem proponunt, multiplicia

x *Ad Tim. ca.3.v.13.*

plicia etiam officia, & quasi boni ministerij proponi scalam qua procedant, fidelitatem scientiam, zelum, fortitudininem, sanctimoniam, prudentiam, perseverantiam, perfectionem, sine quibus gradibus ad gradum præmij non licet ascendere. Quorum omnium sigillatim quum in clarissimo *Gordonio* viuam imaginem exhibuisset, verissimisq; eum laudibus extulisset qui illustrem stemmatis sui gloriam, Theologicæ Professionis accessione auctiorem reddere studuisset, eas tandem Ceremonias adhibuit, quibus Doctoralis in Theologia Inauguratio perficitur: quas, quia ab aliarũ Academiarum vsu nonnihil descrepent, forsitã attexi cupiet quisquã.

Primò *Purpuræ* (quâ induitur) *chlamyde* etiam humerali superadditâ) ius datur; vestis ea olim y Imperatoribus & Regibus peculiaris, & etiamnum quandam Regiminis, Maiestatisq; communionem arguit. Nec mirum: *Theologia* enim cum Regno semper conjuncta fuit, non inter z *Ethnicos* tantùm, sed etiam a *Israelitas*, inter

y *Ideo enim Iulianus Maiestatis insigne vocat Marcellin. l. 21. hist. & pannus iste Anglis Imperialis dici solebat. Mat. Paris in H 2. f. 444.*

z *Persas Cicero l. 1. de divinat. Aegyptios, qui ex sacerdotũ numero Reges eligebãt, Romanos, sic Numa & clarissimi omnes sacerdotio fungebantur, Cæsar, Scipio, Antonius: & inde ab Augusto Cæsares fuerunt potifices; sic & titulus communis erat, Reges enim Sacrorum dicti; & coronas etiam aureas Sacerdotum memorat Tertull,* de idolat. c. 18. a Moses, Dav. So.

ter

ter quos, qui optimi Reges optimi semper Theologi; nihilq; olim & inter *Iudæos* & posteà inster *Christianos* frequentius, quam vt Regum filij Stemmatis & Sacerdotij gloriam conjungerent: & ô felicem jam Britanniam tali potitam Rege, qui *Sacerdotalem* Civilemq; vnà gloriam in persona Regia [b] commistam esse & intelligat & agnoscat! Quid dico Reges Regumq; filios? quum *præpotentis Dei filius* nihil putarit tanto se Rege digni[a] quàm *Sacerdotium*, quum se totum sanguinis purpura indueret, vt *Regium Sacerdotium* in Ecclesia stabiliret. Quo magis purpuratos Theologos reminisci oporteat, vt illius magnanimi [c] *Cardinalis Arelatensis* similes sint, qui cum Papæ tyrannidi in Concilio *Basiliensi* non sine periculo suo se opponeret, palàm professus est, *eo se animo purpuram induisse, vt semper recordaretur (si quando opus ero* [d] *Ecclesia Christi sanguinem effundendum.* Eorum verò Cardinalia vt sine dissimi-

b *Cæs. δῶρον Regia dignitas non est merè laica, sed &c.*

c *Vt refert (qui acta concil. Basil. scripsit) Aen. Sylvius, qui ipse postea Papa erat dictus* Pius, secundus.

d Innocentius *quartus Papa qui trophæum habet in Vaticana erectum quod* Fredericum *secundum imperio priuauerit aliumq; elegi imperatorē iusserit) primus dicitur Galerum rubrum Cardinalibus dedisse, vt cogitarent sanguinem pro Ecclesia Romana effundendum Angel. Roch. in Vatican descrip.*

les, de quorum purpura argutè veréq; ille.

Semivires quicunq; patres radiante galero
Conspicis, & rubræ syrmata longa togæ.
Crede mihi, nullo saturatas murice vestes,
Diuite nec cocco pallia tincta vides:
Sed quæ rubra vides, sanctorum cæde virorum.
Et mersa insonti tota cruore madent.
Aut memor istorum, quæ celat crimina, vestis.
Pro dominis iusto tacta pudore rubet.

Istiusmodi quidem purpurâ non indigent exteriori, qui illius *Antipatris* sunt simillimi, quem *Alexander* dixit *intus totum fuisse purpureum.* In Britannia verò nostra præter Principes, quatuor tantùm sunt eorum ordines, quibus purpuræ jus & prærogatiua permittitur, *Proceres Parlamenti*, *Doctores Academici*, *Præfecti Ciuitatum*, *Iudicesq;* quos penès vitæ necisq; potestas.

Pileus etiam quadratus (coronæ vice[e] ad Purpuram accedens Regiam (nam & coronâ aureâ Pythagoras in Schola vsus dicitur) quod secundum est Doctoris inaugurandi insigne, Theologis communis est cum summis

e *Pileum etiã Doctoralem olim Coccinei fuisse aut rubri coloris (vti & Cardinalium probabile est ex ipso nomine* Pyrreti *(sic Pileum nominant Iurisconsulti) quasi* pyrrhetã. *Sic Augustinus loquitur de pileo rubro quod* Pyrrhã *dicitur, & quod Episcopum decere ait, Augusto in oratione quadã ad populũ Hospin. de origine Monach.*

mis Regni Iudicibus, quos (vt videtur) toto vestium apparatu conformes esse voluerunt maiores nostri vt & *Iudices* Theologorum sanctimoniam amplecti se debere intelligerent, & *Theologi* scirent ab ipsorum labijs pendere vitæ atq; necis animarum potestatem. Dignum quod seriò cogitent qui oviculatum animulas tantilli æstimant. Regalem verò pilei Doctoralis prærogatiuam testatur ipsum jus Imperatorium, quod [f] docet licere Doctori etiam in præsentia Regis pileo indui. Cui Academiæ Oxoniensis Prærogatiuæ, placidè jam tum ascensum prebuit Clementia *Iabobi* Regis, quâ potentissima Maiestate præsente, omnibus licet Regni ordinibus, pro debita humilis officij ratione, exuto Capitum regimine adstantibus, *Gordonius* tamen pileo honorifico vtebatur; quod eo magis huic Infulæ concessum videri debet, qua est vt fortunæ, ita & mentis & linguæ [g] liberæ symbolum, quo induti cuiusquam viventium gratiæ

f *Insigniis Doctorum potest Doctor vti, etiã vbi est Princeps Pelesnand. de Doct. par. 1. q. 3 Insignia autem Doctorum sunt* Tegmen *Capiti impositum*, Liber Annulus, *&c. Alciat. parerg. l. 8. c. 10.*

g *Pileus apud Romanos libertatis index, ideo Brutus à se & Cassio patriam in libertatem vindicatam significans nummos curabat cudi, signatos pugionibus & pileo. Dio, 47. Et nostro seculo honorificum habetur capite cooperto esse, cum servile sit discooperto stare.*

potiùs quàm veritati velificari erubescerent: sed potiùs in cathedra *Moſis* ſedentes, *Moſis* libertatem magnanimitatemq; retinerent, qui nec [h] præpotentis Regis, nec inſolentis populiſce'era metuebat redarguere Quod vel audacter præſtare poſſint, ſi, vt veſte, ita & vitâ verè ſint quadrati, & adverſus omnes mundi impetus immobiliter conſtantes. Quod quò animoſiùs præſtiterint, eò militari præmio digniores evadant. Aureus is eſt annulus Equeſtris & meriti, & honoris index, quod tertium Theologo Doctori ſymbolum traditur. Semper enim in Republica tuenda [k] communia erant officia literarum, & armorum, ideóq; communis etiam honos: nec plus lucri Reipublica conſequitur à Militia, quæ foris hoſtes expellit, quam à *Theologia*, quæ [l] domi cives compeſcit, retinetq; in obſequio erga Regem cùm æthereum,

[h] *Pharaonis Exod.9. 10.*

[i] *Alciat.* Annulus in digito puri tibi ponitur auri, Hoc quia ſic pacto partus Equeſtris honos. *Neq; apud veteres Romanos tantum, ſed apud Carthaginenſes idem obtinuiſſe teſtatur Ariſt. Pol.7.c.2.*

[k] *Id veteres ſignificarunt quum eandē Palladem ſapientiæ Deam & armorum finxerunt idemq; voluerunt eſſe Herculis & Muſarum templum, & Coronam lauream tam Doctorum quam Ducum mercedem Gell.18. c.2.*

[l] *Solidiſſima Regiæ Politiæ baſis eſt verum Dei cultum vbivis ſtabilire, alias qui poteſt aut Deus Reges beare à quibus negligitur, aut populus fideliter colere, qui ab obſequio ſuo non recte inſtituitur.*

tum

tùm seçularem. Quam sacram literarum in imperio regendo potentiam, sensit & potentiâ, & literis *Cæsar* illustris, qui, eo nomine, [m] altera manu gladium, alterâ librum tenens depingebatur, cum hac Epigraphe, *Ex vtroq; Cæsar*. Istam autem Equestrem in Academicis Professoribus dignitatem præter alios, decreto sancivit *Carolus Quintus* Imperator, qui cum [n] Bononiæ diademate *à Clemente Septimo* indueretur, non Equitum modò, sed & Comitum prærogativâ perpetuâ atq; insigni Professores Academicos insignivit. Quod ita consonum est cum Iuris publici præscripto, vt nõ [o] Iustinianæi modò, sed & [p] Britannici nostri Fœciales, eos qui aliquot annos [q] Professores Academicos egerint, agnoscant censendos esse in ordine *Illustrissimorum*, [r] quo titulo post principatum nullus sublimior agnoscitur. Sed vt Equitem in Theologo nostro planè agnoscas, ecce ocreis procedit indutus, (id enim apud nostros Oxonienses insigne quartum

[m] *Paradin. in Symbol.*
[n] *Middend. Academ. lib. 1. cap. 6.*
[o] *Cassanæus Purpuratus, aliq;.*
[p] *Segar, alias Norroy, lib. inscript.* Honor, military and Civil. 4. c. 20.
[q] *Nam non modo sublimiores illæ quæ habentur Facultates eo in honore erant, sed & Sophistæ, quo nomine Philosophi intelliguntur, & Grammatici tam Græci, quam Latini, vt patet ex lege citata valent.*
[r] *Nam summi Regni ordines dicuntur tantum illustres, Judices regni, spectabiles, Vrbani magistratus Clarissimi, &c. Segar loco citoto.*

Theologi Doctoris) quo ad militiam suam se expeditum indicet; vt qui jam in fastigio Academicæ dignitatis constitutus, idoneus sit, qui statim evolet vt etiam in Ecclesia emineat. Scilicet is primus Academiarum finis, vt inde tanquam ex Equo Trojano, petantur Duces militanti Ecclesiæ. Atqui vndecunq; potiùs jam hauritur quã à fonte, eosq; [r] ovibus Christi jam præficiunt, qui Academiam nunquã salutârunt, & quos frequenter ovibus suis præesse nolint. Verùm si quis miretur cur *Ocrearum* symbolum præter aliarum omnium (vti arbitror) Academiarum consuetudinem adhibeamus; intelligat is, nullam vsquam Ceremoniam Academicam hac antiquiorem, vtpote quam ipsi *Sancti Benedicti* seculo acceptam referimus; cujus discipuli cum *Augustino Monacho* Angliam [a] ingressi an. 596. hoc institutum à primo institutore habuerunt [b] vt *Occeati incederent*, & hoc sui ad nos accessus testimonium reliquerunt, tantumq; olim (quum nondum adeò contaminata esset eorum religio) *Benedicti* familiæ, *Neoto* præsertim *Alfredi* adiutori atq; *Alcuino*, Academia nostra tribuit, vt *Sanctæ Schola-*

[r] *Hinc Academiarum ruina Ecclesiæ labes, anon & Reip. periculum?*

[a] *Hospin. de orig. Monac.*

[b] *Sabellic. Æneid. 8. l. Antonin. tit. 15. cap. 14. parag. 8. Polyd. To.*

[c] *Et illa fratri adiutrix fuit in regula instituenda. Hospin. de orig. Monac.*

[d] *Ex antiquis Academiæ monum.*

stica (quæ [c] *Sancti Benedicti* soror erat)

rat) celebritatem rei gioſè inprimis coluerit & antiqua *Benedictinorum* apud nos benemerita literis antiquitùs consignauit. Quinto traditur Sacer Bibliorum Codex, genuinum Doctoris symbolum, sine quo nec rem habet, nec titulum meretur. Hoc etiam olim [f] Regibus inaugurandis tradebatur; illi, vt lingua, isti vt scep-tri potestate veritatem Evangelicam non protegerent modò, sed etiam dissèminarent. Nec enim libro sacerdotis, sed [g] labro conservatur scientia; ideóq; iis, tanquam falsariis, dica est intendenda, qui, aut doctrina vacui libri insigne gestant, aut post symbolum acceptum, quasi summum dignitatis montem assecuti [h] desides requiescunt. Quid enim magis absonum quàm eos Doctorum nomine gloriari (quales in regionibus transmarinis i Codicillates illi) qui literis non suis sed Regijs illud nomen metentur?

[c] *Ex lib. literar. Antiq. Acad.*

[f] *Deut. 17. 7 18. requiritur vt Rex singulis vitæ suæ diebus in eo legeret & omnia eius mandata obseruare sataget.*

[g] *Malac. c. 2. v. 7. Ideo & Mucius Scævola ipse Pontifex Pontificios dictos censuit à posse & facere, sed si Etym. merito displiceat Varroni) sed voluit is non modo petitos esse Sacerdotes (sed peritiam suam exercere. Pompon. Lætus, de Rom. Sacerdot. & Bebelius de Rom. Magist.*

[h] *Sic Romani duces post triumphum comparatum otiosè dare solebant. Sed merito laudibus effertur Cato, qui nihilominus operam reip. navabat. Pomp. Let. Comp. Rom. hist. l. 2.*

i *De quibus vide Middendorp. l. 1. c. 7. Guidonem alioſq;*

Aut illustres, Academias ea putida indigere *Petri* k *Rebuffi* excusatione; *quod interdum indignos dignitate gradum honestent, eò quod sperent eos posteà majus studium adhibituros, ut gradu & nomine suo digni evadant.* Quòd si fortè apud nos hujusmodi aliquando Codicillares, non *Academicâ* sed Regia *gratiâ* aut quavis alia Titulum Doctoralem assecuti fuerint, solebant olim ϰ Majores nostri eorum memoriam nominatim posteris scripto tradere, eósq; *Cereorum Doctorum* notare titulo, quia sub cera & sigillo Principum, dignitatem invaserint; addito elogio, quod a *quemadmodum cera ignis probationem ferre non potest, ita nec eorum ignorantia examinis Academici fervorem sustinere, Taleséq; plerúmq; Mendicantes fratres fuisse.* Quantum autem Academico examini Reges nostri tribuerunt videre est ex [b] statutis Regni, quæ majorem concedunt prærogativam Doctoribus Academicis quã hisce Cereis, tametsi peculiari Regis gratiâ ita promotis. Istis insignibus ceremoniæ succedunt aliæ: primo osculi, quo Pater purpurato filio (eo enim

k *Petr. Anchor. Procem. l. 6. Quanquam Zabarellæ iudicio facile est doctoratum mereri. Nam vbi in Clement. 5. de Magist. mētio doctrinæ in vjs, sufficientis ad Gradum.* Nota *(inquit Zab. in vocem* sufficientis *quod in* Doctore sufficiat doctrina sufficiens, *non* eminens requiritur.

Doctum Scevolam, z *Ex lib. vet. Stat.* a *Lib. cit.* b 21. *Hen.* 13.

c enim in loco initiandus haberi solet) non modò suum, sub cujus præsidio tantus eminuit, amorem testatur, sed & matris Academiæ, tantâ filij gloriâ triumphantis, vnâq; etiam ad ejusdem amoris vinculum in Ecclesia Dei, evitato omni schismatis contagio, conservandum cohortatur. Solennis tandem benedictio sequitur, quâ illi in Ecclesia, & per illum Ecclesiæ fausta omnia comprecatur: & vt pro præteritis virtutibus ab Academiâ gloriam istam consecutus est, ita vt ex futuris ejus benemeritis Academia vicissim gloriam consequatur, vota nuncupantur.

c *Obtinuit enim vt deinceps eum sem per patris honore & nomine colant, cuius munere gradum consequuntur, Ita & inter Magistros Inceptores in Artibus Senior Procurator semper Comitiorum præter dicitur.*

Postquam ista multâ ceremoniarum solennitate, magnáq; Principum omniumq; spectantium voluptate peracta sunt, nihil iam restat, nisi vt is, qui jam plenariam Cathedræ Doctoralis possessionem adeptus est, aliquod sui experimentum suo tanto titulo, tantâq; Academiâ, sed tanto imprimis Iudice, & spectatore dignũ, ex sua Cathedra exhiberet. Idq; mox reliquos inter Athletas disputando cumulatè præstitum. Exantlato enim inaugurationis negotio, classicum canitur, & *Hollandus* provocat ad certamen, thesibus palam denuntiatis quas

respondens, nequis de sensu scrupulus subesset, primò versibus, pro more Academiæ (quæ illum Poetis honorem semper detulit) explicabat. Priorem istis,

Non benè conveniunt Sanctis, nec talia posunt
Cœlestes animæ quæ tribuenda Deo.
Angelus, aut Sanctus cordis secreta videre
Si poterit, poterit Sanctulus esse Deus.
Solus corda Deus scrutatur, pectora solus.
Ille videt, Sanctis clausa, recluſa sibi.

Alteram istis:

Publica communi mandata est cura Ministro,
Non ovis unius, sed data cura gregis.
Peste laborantem cum visis, publica linquis
Munera, deperdis spemq; gregemq; simul.
Si moreris pastor, pecori tum succus ademptus,
Et via nocturno stat patefacta lupo.
Nulla futura salus si sit, nisi viserit ægros
Peste graves pastor, nulla futura salus.

Oratione deinceps, elegantiori dicam, an intimâ Theologicæ speculationis medullâ refertiori? ita omnes excussit veritatis rimulas, latebrasque falsitatis, *Bellarminianæ* præsertim, vt si Cardinalis præsens suas sycophantias, quasi detractâ larvâ, omnium explosui

plosui vidisset expositas, nisi omnem prorsus modestiam exuisset, vultum bireto suo rubicundiorem prætulisset. Sed quis ab ea fronte verecundiam expectet, quæ Babylonici Scorti pigmentis & figmentis polluitur, quæq; Bestiæ charactere vstulata, adversus ista liquidissima sacræ veritatis oracula se obduravit? z *Tu nosti solus avium filiorum hominis.* a *Quis hominum novit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui est in eo?* b *Fraudulentum cor ipsum supra omnia, quis cognoscit ipsum? Ego Iehova scrutator cordis, probator renum, &c.* Ex quibus orthodoxus pugil noster istam solius Dei cordi-scientiam ita solidè asseruit, omnésq; in Sanctis & Angelis cognoscendi rationes, ita subtiliter perscrutatus est, vt omniscíæ revelationis nulla (quam isti somniant) speciuncula compareret; speculum verò quod finxerunt, quo in Dei facie omnia cernerent,

z 1. *Reg.c.* 7. v.39.
a 1. *Ad Cor.* c.2.v.11.
b *Ier.c.*17. v.9.10.

c *Postquam arma Dei ad Vulcania venium est,* *Virg. Æneid lib.*12.

---glacies seu futilis, ictu
Dissiluit, fulvâ resplendent fragmina arenâ.

Pariq; eruditionis genere Pastorum officia loco secundo enucleavit: à quibus ita omnem diligentiæ vigi-

liarumq;

liarumq; industriam exigebat, vt intelligerent tamen se publicos esse in domo Dei patres-familias, & propriæ inprimis saluti oportere consulere, vt alijs ad salutem æternam quàm plurimis quàm diutissimè possint prodesse. Quæ omnia quàm argutè tractarit, quid refert verbis meis indicare? quum Doctissimus Rex (cujus acerrimo judicio nihil vnquam limatius) nullam voculam aut causæ defuisse, aut redundasse palàm diceret, hominisq; acumen [d] nomini consentaneum esse planè *Aquilinum*. Et certè talem oportuit esse eum, cui jam, vt Æneæ olim, tam strenuorum fratrum.

[e] *—stipata cohors foret obvia, Martis*
Progenies septem numero, septenaq; tela
Conyciunt.—

tam spectata virtute, peritiáq; Antagonistæ omnes, vt septemplici *Aiacis* clypeo munitum facilè agnosceres,

[f] *qui nisu immotus eodem*
Corpore tela modo, atq; oculis vigilantibus exit.

Hollandus enim, *Gordonius*, *Fieldius*, & *Rivius*, primæ Theseos propugnaculum oppugnant; Secundæ, *Thomsonus*, *Hardingus*, *Airarus*: tanto omnes impetu & telorum acumine, quanto dia

d *Dictus enim* Ægli. onby. Ægle *autem lingua patria Aquilam significat.*

e *Virg. Æn. lib.* 10.

f *Virg. Æn. lib*, 5.

dia véritas, etsi vinci nescia, obrui tamen poterat, nisi tantum propugnatorem inveniſſet; adeò vt quum eruditionis eximiæ fructum ſemper vberrimum ſinguli percepiſſent, tum nullum vnquam ſplendidiorem, quàm quòd vnico hoc negotio duo reportárint ſplendidiſſima præmia; alterum, quòd Regem (quo nunquam melior) intima conſpicuaq; voluptate perfuderint (quid enim apud bonos optabilius, quàm in communem gaudij ſui fontem aliquod viciſſim gaudium regurgitare?) Alterum, quòd apud Regem (quo nuſquam doctior) non modò cenſuram, & quaſi limam ferre potuerint, ſed benigniſſimam etiam exiſtimationem, & amplam laudem referre. Neq; verò quis expectet aut hîc, aut in ſequentibus, prolixam argumentationum replicationúmq; ſeriem contextam; eam propter multiplicem varietatem, (quæ ipſa volumé juſtum expeteret,) hiſtoriolæ hujus anguſtia non admittit; quantò minùs orationis meæ, quinimò & pectoris mei, anguſtia complecti poteſt illas in Rege, &, vt verè dicam, Regum miraculo, immenſas laudes, non modò inauditi candoris, quo literarij Athletæ tantum & tam benignum approbatorem

rem habuerunt, sed etiam eruditionis admirabilis, cujus & hoc tempore, & etiam deinceps sæpiùs in omni genere scientiarum, *Theologiâ*, *Medicinâ*, *Jurisprudentiâ*, *Philosophiâ*, tam illustria è sublimi solio testimonia exhibuit, vt parca jam nimis videri possit ea *Mercurij* gloria, quâ, quòd Rex, Philosophus, Theologus esset, *Ter Maximus* dicebatur; adeo vt jam eximij literarum Professores, qui tam præpotenti auditore beatos se censebant, tã præcellenti Doctore se judicarent beatissimos. Nec enim vllum argumenti jaculum jam contortum est, cujus ille vires subtilissimè, non penticulârit, vt quem tacentem summâq; Majestate assidentem, *Magnum* putares *Alexandrum*, eundem loquentem majorem crederes *Aristotelem*? Aristotelem dico? Id quidem magnum; id tamen (nec tamen assentor,) nihilum: ausim enim asseverare, quantum recondita Theologiæ mysteria minutijs Philosophiæ anteponuntur, tantò Regem, Theologorum Principem, Principi Philosophorum anteferendum.

Quum *Iacobum* sacra manu Sacra Biblia è solio solicitè pervolventem contuerer, quum citata vtrinq; testimonia accuratè excutientem, quum argumen-

argumenta objecta solidè refellente, videre mihi visus sum, aut *Mosem*, vt sceptro sic eloquio, Pastorem populi; aut *Davidem*, quum Prophetam, aut *Solomonem*, quum ageret Ecclesiasten. Si quis nimiùm me adulatoriè in tanti Principis laudes lascivire censeat, aut grandiori oratione vti, quàm res meretur; intelligat is (vt olim de *Crasso & Antonio* dixit f *Cicero*) *se ex iis esse, qui aut illum non audierit, aut iudicare non possit.* Cujus ex divinis sermonum areolis, si quos collegero flosculos, aut currenti potiùs pollice decerpsero, vt ei, etsi nequaquam parem gloriam tanti ingenij sublimitati, at pro meo tamen studio meritam gratiam debitámque referam, prudens facti mei interpres id mihi indulgebit non invitus, quod de eodem g *Crasso* à se descripto postulat *Marcus Tullius*, *vt maius, atq; divinius* de Iacobi *eloquijs, quàm quantum à me iam exprimitur, suspicetur. Nec enim quisquam vestrûm, qui libros Platonis mirabiliter scriptos legit, in quibus fere Socrates exprimitur, non, quãquam illa scripta sunt divinitùs, tamen maius quiddam de illo, de quo scripta sunt, suspicatur;* Quod tantò magis mihi postulandum est, quantò, & scripta mea *Platonis, Tulliiq;*, inferiora, & *Iacobus,*

f *Lib. de Orat.* 3.

g *In vitio l.* 3. *de Orat.*

Socrate

Socrate, Craſſoq; ſublimior. Verùm enimverò Academiam iſtam tam devotiſſimo Mæcenate indignam exiſtimarem, ſi exemplum hoc tam ſine omni exemplo ſplendidum, totius orbis notitiæ, taciturnitate ſua ſuffuraretur. Illud præ ceteris præterire non poſſum (cujus nec vnquam poſſum oblivifci) quum è Theologis jam opponentibus vnus, Paſtorum de inviſendis peſte laborantibus officium ex eo *Iacobi* Apoſtoli loco aſtrueret, [b] *Infirmatur quis inter vos? accerſat Presbyteros, &c.* Regem in ſeipſo conſpicuum dediſſe teſtimonium illius conſilij, quo *Hemicum* filium in iſtoc Libro aureo, & verè *flammeo* accendere nititur; vt *in Scripturis Sacris legendis* (audite hoc Pontificij & frendete) *peritus, & expeditus Textualis, eſſe ſatageret.* Loci enim cita manu adinventi, & alta voce prælecti circumſtantias omnes tam Theoſophica indagine ventilavit, vt *Divum Iacobum*, Iacobi Divi oraculum enucleatè exponentem, maxima cum voluptate, ſed incredibili admiratione ſuſciperent Academicorum etiam doctiſſimi.

b *Iacob.* c. 5. 14.

"Ea *verò* omnia quæ ſacris "literis continerentur, vt non hominum

" hominum, ita nec omnium
" temporum propria censenda
" esse *monuit*. Eam quidem fu-
" isse temporum Apostolico-
" rum conditionem, propter
" miraculosę charisma sanatio-
" nis, quo tum Deus Filij sui
" nascentem Ecclesiam confir-
" mare voluit, vt presbyteri
" tunc temporis quosvis mor-
" bis decumbentes, non modò
" sine suæ salutis periculo, sed
" cum istorum etiam frequenti
" revalescentiâ inuiserent: &
" istis id circò sæculis, vnctio-
" nis symbolum quàm quoti-
" dianum, tam etiam fuisse sa-
" lutare, Istarum verò ceremo-
" niarum necessitatem ab his
" Ecclesiæ nostræ temporibus
" tantùm abhorrere; quantum
" à primitiua istâ miraculorum
" frequentiâ longissimè reces-
" simus. *Unde evidentissimâ*
" *rationis luce ex ipsissimo con-*

texu

"texu comprobauit hanc Apo-
"ſtoli præceptionem Miniſtris
"noſtrorum temporum non
"competere, eò quòd illi, de
"quibus apoſtolus loquitur,
"accerſebantur quidem vt pre-
"carentur, ſed vngebant vt ſa-
"narent. Quæ ratio evidentiſ-
"ſimè evincit, vnctionis pon-
"tificiæ ſacramentum huic loco
"inniti nullo modo poſſe, cum
"ipſi Pontificij agnoſcant ſe
"non vngere vt ægrotos ſana-
"rent, ſed vt morientibus vi-
"aticum exhiberent. Illud e-
"nim ſanationis donum cum
"jam (etſi non rarò ſe habere
"mentiantur fanatici homi-
"nes) non habent, ideo præcep-
"tum hoc presbyteros accer-
"ſendi extraordinarium fuiſſe,
"& ad noſtros iam minimè
"pertinere, niſi forte ſe etiam
"corpore medicos profiterentur, qui eſſe debeant animarum

i Hiſtoria Ieſuit. de rebus Indicis. Petrus Maffeus & Epiſt. Iaponicæ. Nec certe ratio fert vt Ieſuitæ ſacrificuliq; ſperent vnctos ſuos evaſuros manum Dei percutientem quum vncti ipſius Dei ægre poſſint evadere manum Ieſuitarum Sacrificulorumq; percutientem.

"rum. Nam vtriuſq; etiam
"Medicinæ peritiam habuiſſe
"illius ſeculi Presbyteros mihi
"pluſquam probabile videtur,
"(& de Diuo Luca, Medico
"ſimul & Euangeliſta, planè
"conſtat) quandoquidem vt
"tempora tum erant, quum
"nullum vnquam capitalius o-
"dium eſſe poterat, quam de
"Religionis cauſa inter Ethni-
"cos & Chriſtianos; certiſſimi
"res erat periculi ſi fideles,
"morbis affecti, ſe vitamq; ſu-
"am infenſiſſimorum hoſtium
"curæ committerent. Sed æ-
"quum potiùs erat, vt qui in-
"ter ipſos authoritate & do-
"ctrinâ pollerent (quales erant
"eorum presbyteri) ijdem eti-
"am vtramq; curam vtriuſq; ſa-
"lutis, tàm æternæ, quàm cor-
"poreæ ſuſciperent quo pacto
"ægros ſuos meliùs poterant,
"aut ad vivendum iterum con-
firmare

"firmare, aut ad moriendum "(si sic Deo visum) præpa- "rare.

Cui solidissimo Regis de Apostolico sensu judicio, quum judicium *Sancti Augustini* (libro qui *Speculum* dicitur, illud ad sua tempora accommodantis) modeste opponeretur (quamquam *Gregorii* potiùs *Magni*, quàm *Augustini* scriptum illud fuisse ostendebatur) subiecit Regum vt Doctissimus, ita mitissimus, Pertinere quidem etiam dum, quantum quantum commodè fieri possit sine periculo, sed vt relevarent orando, non vt vngendo sanarent quod fieri non potest sine miraculo.

k *Quales per multas hic in Anglia publicis tribunalibus iudiciis detectas egregie describit Harsinettus libro inscripto.* The Imposture of the Romish Church.

Digna sententia Orthodoxo Rege hisce præsertim seculis, in quibus post exposita fictorum Sanctulorum miracula vetera novæ succrescunt sanationum k impostvræ, eorum præstigijs præsertim indoctæ, qui se Patres Sodalitij Iesu venditant, vt veros sodalitij Iesu filios procliviùs fascinare possint quiq; l mulierculis (quas pro studio semper complecti solent) corporum medelam pollicentur, vt earum animas

l *Nam earū fere solarum curam suscipiunt, vt eodem libro verissime declarat.*

mas æternùm trucident. Quorum fœdissimis fraudum incantamentis, cæterorum Regum Christianorum Serenitates imponi sibi minimè permitterent, si Britannici Regis in sacris Dei oraculis idq; [m] Dei jussu evoluendis, exemplum velint sequi, tametsi illius in illorum mysterijs indagandis sublime ingenium, assequi desperent. Sed Papa illud prohibet. Vocè Rege indignám, qui iussa Pontificia curet, divina negligat; scilicet reformidans ne ab offenso Capitolino Ioue, vel Anathematis fulmine ad ima Tartara præcipitaretur, vel pulvere tormentario sulphureoq; in summum æthera disploderetur. Vah Infernalem & Ignivomam Ignatij sobolem à Romanâ lupâ educatam. Intelligant tandem Orbis terrarum Principes nostro periculo, quibus argumentis suadeat Pontifex, & quàm pia, quàm mitis, quàm charitate (si Dijs placet) plena sit Religio Romanensium; quibus pietatis officia sunt, regna evertere, Reges trucidare, [n] vulgarem cædium modum dedignari, nova, incredibilia, diabolica excogitare, vt simul, & nictu oculi, incredibilis numerus Principum Nobilium; quibus terrarum Orbis vniversus

[m] Deut. 17. v. 19. 20.

[n] *Sic & eorum Athleta Simon Comes Montefortensis, cui quod centum millia Albigensium Hæreticorum (sic pios nostros) trucidasset, & 80 iam tredidisset Sixt. V. Trophæum statuit in Vaticana, & Christianissimi titulo donatur. Angel. Roccha descript. vatican.*

versus selectiores non habet, lamentabili exitu contrucidarentur. Certum est, & indies noua exempla fidem facient, quod vbicunq; *Iesuita* est, *Garnetus* est, Regum proditor est, scelerum machinator est. Sanctiores vos (*Basilis sacerdotes*) qui vestra corpora crudeliter conscidistis, sed vestra tantùm; hi, vltra vota illius olim Tyranni, vno ictu totius Reip. jugulum confodient. Sentiet fortè, licèt serò Nobilissima gens vicina, se quum Iesuitici flagitij monumentum destrueret, non inconstantiæ modò suæ Trophæum extruxisse, sed veteris etiam parricidij, noua exempla accelerâsse. Sed qui olim *Iacobi Deum* se peculiari titulo vocari voluit, idem eodem numine, eodem nomine se *Iacobi* nostri. Deum esse Tutelarem patefaciet perpetuò, quodcunq; Esauus Antichristianus, & Papicolarum infernale agmen diabolicè machinetur.

At quo rapior, dum recordor officij mei, obliuiscor instituti. Nihilominus, illud & jure meo superaddam, quod aureo hic asterisco videtur non indignum, quodq; & tum publicè, & alias semper priuatim, in Rege disceptante mirari solent omnes, cum adeò veritatis indagandæ studio teneri

neri, vt quum tantâ sit Doctrinæ ingenijq; subtilitate, vt refelli facilè non possit, tantâ tamen sit facilitate vt sibi contradici non modò patiatur facilè, sed etiam cupiat. Nec enim vivimus sub eiusmodi Rege, nec eo sæculo, quo tanti sit periculi *contra eum scribere* (vt inquit ille) *qui potest proscribere*; at nec illi jam contradicere, qui potest & aquâ & igni interdicere; adeò nostrum hunc Imperatorem alienum esse patet ab ea o *Adriani* Imperatoris (alias non illaudati) morositate, suiq; superciliosâ confidentiâ, quam propter, veri sæpius cognoscendi beneficio se priuabat; de quo non illepidè Phauorinus. *Necesse est* (inquit) *vt eum omnibus Doctorem agnoscam qui triginta habet legiones:* adeò proclive est principibus, non in literarijs modò negotijs, quod fortè leuius, sed in arduis etiam Reipublicæ consilijs, sibi præ sui præfidentiâ, veritatis assequendæ opportunitatem, præcludere.

o *Aelius Spartianus in vita Adriani.*

Verùm *Cœlo* jam ferè *medium, sol igneus orbem Hauserat*; ideòq; toto disceptandi negotio, non minore cum gloriâ omnium Actorum, quàm cum voluptate Audientium exantlato, visum est pereximio Procancellario

rio (cuius id vti diximus munus) receptui canere, & (pro more Academiæ) totam controversiam suo calculo definire: ne cui fortè auditorum illud contingeret, quod *p Sulpitio*, & *Cottæ* attribuit *Cicero*, qui audita subtili *Crassi* & *Antonij* concertatione, hæserunt animis penduli dubijq; eorum vtri credendum potiùs esset, an eorum neutri. Cujúsmodi scrupulum omnem & orationis grauitate, & judicij, Doctrinæq; (quibus plurimum pollet præstantissimus vir) soliditate, ita penitùs exemit, vt merito primas in Academicâ dignitate ei delatas omnes agnoscerent, in quo, omnium non scientiarum modò, sed & virtutum primas conspiciunt. Omnia verò illa Angelos atq; Sanctos invocandi nugamenta ita conspectui omnium, explosuiq; exposuit, & Pontificum Romanorum (qui istum Cœlitum cultum quasi præcipuam Religionis suæ Arcem, mordicus tuentur) vafritiem nuaritiamq; strenuè detexit, vt non modò Romanam illam *Sancti Angeli* Arcem cum *q Borbonio* iterum obsedisse censeres, sed etiam eandem & in eâdem vnà inclusum Pontificem, funditus euertisse. Ea verò beata

p *Lib. 1. de Orat.*

q *Guicciard l. 8.*

ta prædicavit regna (quæ autem illa, si non nostra?) quæ, vt vnum Deum vnicè colunt, ita ab vno Deo amantur vnice & coluntur; quæ & pacem stabilem, & religionem puram possident; quæ cum Literarum tùm Armorum gloriâ florent, quæ (quod omnium ferè caput est felicitatum) Rege fruuntur potentissimo, tamen pacifico, rerum omnium copijs florentissimo, tamen vivendi moderato, majestate & splendore supra summos, facilitate tamen, & affabilitate infimis pari, Rege denique Pijssimo & piorum fautore, Doctissimo, & Doctorum sumuno Mæcenate, hoc est *Iacobo*, hoc est nostro. Ita actis, Deo pro tanto Rege, Regi, pro tantâ clementia, patientiâ, candoreq; gratijs, quæ concipi potuerunt maximis, voluptate incredibili perfusis omnibus, antemeridiani negotij pensum absolvitur, Regemq; omnes omnibus felicitatum votis, vnanimiter ingeminatis prosequuntur.

Ille verò, qui nullas vnquam dapes sibi censuit jucundas; nisi quæ literarum sale condirentur, præteritæ voluptatis recordatione, & gratâ futuræ expectatione accensus, longâ se morâ distineri non patitur, vt qui

ab epularum lautitijs festinando, eodem se esse animo proderet, quo fuit *Alphonsus Aragonius* consuetam epularum horam differendo; quo tempore, consimili eruditorum colloquio diutius ulè intentus, cum ab esurientibus Aulicis moneretur se ad mensam expectari, *nequaquam* (inquit) *hæc enim mihi dapes, vi convivæ*; sensitq; multo jucundiorem esse gustum ferculorum, quibus anima alitur, quam quibus gula saginatur.

Theologia quidem anima animæ, Iurisprudentia anima reipublicæ, & *rectoribus* qui utriusq; saluti prospicere se debere intelligit, utriusq; artes studio quanto potest, maximo, & omore affectat. Itaq; pomeridianas horas Cæsarei juris professoribus impendit, assidentibus à sinistra, Reginâ seminarum optimâ, & *Henrico* Principe; à dextra, Legatis utriusq;, circumquaque Heroinarum & Procerum, cæterôq;, ut diximus, cœtu spectabili. Prodierunt tum è reliqua Iurisperitorum familia, sex lectissimi purpurati; D.D. *Byrd*, è *Collegio Omnium Animarum*, D.D. *Weston ex Æde Christi*, D.D. *Martin* è *Collegio Novo*, D.D. *Hussey* Principalis *Aulæ Magdalenæ*, D.D. *Baddam* è *Collegio Magdalenæ*si

ne si, D. D. *LLoyd è Collegio Omnium Animarum*, vires suas experturi omnes adversùs Clarissimum virum, D.D. *Blencow, Collegij* q *Regalis Præpositum*, Respondentem sub præsidio *Alberici Gentilis*, Regij Professoris, plurima (scripta ejus testor) literaturæ varietate refertissimi. Theses duas proposuit Opponentium meritò primus D.D. *Byrd*, his Hypothesibus (more Iurisperitorum) descriptas. Primam,

Caius, Civitatis Papiensis Civis, cuidam Julio concivi suo obviam factus, cumq; maximo impetu, gladio districto adortus fuit ab eodem Julio, se contra vim illius defendente, interfectus, præsente tunc fortè, atq; inspectante illius Civitatis Iudice. Paulo post, cum de hac cæde in iudicio quæstio esset, prodierunt quidam Testes, integræ opinionis & famæ, qui prædictum Iulium & insidias fecisse Caio, & vim priùs intulisse testarentur. Quæritur.

An prædictus iudex ferre sententiam debeat secundùm probationes in iudicio deductas, contra veritatem sibi privatim cognitam? Affirmat Respōdens. Secundam.

Inter duos Reges vicinos diuturno bello inter se contendentes, induciæ nuper fa-

q *Vulgo* Auryal *dicitur forte quasi* Aul-roial; *nam & collegium Regale & Aula Regalis olim dictum ab Ed. 2 Fundat inde est quod in chartis fūdationis Colleg. Regin. legitur fuisse antea Collegium Oxon. Regio nomine sed Reginæ nullum.*

le fuerunt, quibus inter cætera cautum erat, vt vtriusq; regni subditis liceret in hostili territorio tuti versari, vsq; ad certum diem in dictis inducijs nominatum; ita tamen, vt si post illum diem quisquam ibi alterius ditionis subditus moneret, occidi iure ab illius loci incolis posset. Quidam cum ante diem præstitutum ad suos redire parârat, & conducta navi, ab hostili portu solvisset (quoniam alia recedendi via nulla erat) in eundem portum, vi tempestatis subitò exortæ, reiectus erat, ibiq; manere coactus, donec dies inducijs expressus elaberetur. Quæritur.

An iste alienus, & hostis, contra ius inductarum prius pactarum in hostili portu adversis ventis detentus, iure occidi ab illius loci incolis possit?

Negat Respondens: & oratione facunda (qua facultate plurimum polluisse semper habitus est) omnia rationum pondera, judiciorum exempla, Iurisperitorum testimonia, adeò copiosè luculenterq; congessit, vt nullam contrà proferri censeres potuisse vel speciem rationis, qua sententia tot propugnaculis communita convelleretur. Atqui quid adeò munitū, quod Iurisperitorum machinæ, & ingenia

genis non labefactent? ita fit, vt dum acutissimi Opponentes vtrinq; argutiarum suarum impetu & ingenij quasi fluctu Decumano irruunt, Iurisconsulti, qui aliorum contentionibus terminos imponunt, suis itemq; videantur non posse. Quod, cum in alijs eorum litibus levioris momenti frequens sit, in istis tanti momenti controversijs contingere mirum videri non debet. In quibus, duo quæ sunt in rebus humanis maxima, quasi die dicto, litigant pro Tribunali; Lex, & Æquitas; Conscientiæ rectitudo, & Iudicij; bonus Civis, & bonus Vir; & (vt verbo dicam) salus hominis, & salus Reipublicæ: quæ cum conjuncta sint, mutuaq; inter se concordia consonantia, reos ab injuria, Iudices à scelere immunes reddant, vtrósque verò calamitatibus involuant, si invicem distrahantur. Quæ enim homini acerbior laniena esse potest, quàm cum *Metio Suffetio*, opinionum quasi bigis membratim distrahi, dum hac, Lex civitatis, illac, naturæ te inciter, hac Regis, illac Dei, te sollicitet, & discruciet offensio? Hæ enim in vtraq; Thesi distractiones officiorum obversantur; quorum jam æquabilitatem, quò acriori disceptandi con-

tentione Cæsarei nostri concertatores investigant, eò profundiùs in *Democriti* puteum veritas demergitur.

Sed ecce nobis è machina verè Iovem. Non enim interea Auditor parum attentus sedet Iacobus; at nec Auditor tantùm; omniáq; non *Iustiniani* lupe cilio, sed judicio libravit suo, docuitq; oratione & frequenti, & ex conditissimis Regiæ sapientiæ thesaurus deprompta, sublimius quiddam esse intellectus donum, quo cœlitùs imbuit Deus pectora eorum Regum, quos charos habet, quàm quod nostri ordinis homines, quanetiscunq; aut ingeniorum, aut industriæ viribus assequi possint, etiamsi doctissimorum omnium monumenta suis lucubrationibus expilârint.

Testor te Dia veritas (*cuius ego vestigia semper adoro*) tantùm abesse quicquam vt Regijs (ne dum alterius cujuscunq; lectoris) auribus dem, vt contrà videam mihi impense metuendum, ne tantum in tanto Monarchæ literarum splendorem, cognitionisq; varietatem, orationis meæ maculis potiùs obfuscem, quàm coloribus depingam. Hoc mihi (scio) tota apud nos cohors Cæsares suffragabitur, de eo, quæ tum agebatur, quæstionum ma-

teria,

teria, nihil vnquam ab ijs, qui inter ipsos totas familias ducunt, aut scriptum, aut dictum fuisse ad institutum accommodatius, ad rei veritatem exquisitius, ad Reipublicæ vsum opportunius, ad Iurisprudentiæ sensum subtilius, ad legum moderationem salutarius, ad omnium rerum, hominum, temporum, necessitates sublevandas validius, quàm quod isto die auribus sitientibus, oculisq; præ animorum gaudio planè lacrymantibus, ex isto inexhausto eruditionis fonte hauserunt. Tum præcipuè, quum animadverteret ex Disputantium vtrinq; decisionibus, non modò Iudicem in duo discindi, sed veritatem etiam discerpi, nisi ipse propitius se Sequestrem immisisset, eámq; vtrisq; subduxisset, [f] *Philippi* illius more (etsi majore cum laude) qui arbiter factus inter duos Thraces, Regnū vtrisq; abjudicatum sibi reservavit. Etenim sententiæ oraculo sic statuebat. "Nec hinc conscientiæ notitiam negligendam, nec illinc legis præscriptum violandum fuisse, quorum antea alterum inevitabile videbatur. Siquidem (inquit)

[f] *Iustin. l. 7.*

" quit) duplicem sustinet perso-
" nam, vnam publicam Iudicis,
" alteram privatam hominis
" Christiani. Quâ Iudex est,
" juramento Regi tenetur se-
" cundùm legem judicare; quâ
" Christianus, Deo obligatur
" judicare secundum conscien-
" tiam. Quòd si aliquando
" contigerit, vt vtrumq; præ-
" stare nequeat, eò quod pro-
" bationes afferantur contra
" veritatem privatim sibi cog-
" nitam, oportet inprimis om-
" nes aggredi & tentare mo-
" dos, quibus investiget verita-
" tem, & retegat testium falsi-
" tatem, & vtramque in lucem
" meridianam (si fieri poterit)
" protrahere. Sin adeò testes
" desperatæ sint nequitiæ; &
" præfracti, vt illud efficere,
" atq; obtinere nõ possit, Rege
" tum demùm scriptis de re to-
" tâ certiorem facere oportet,

cujus

" cujus est id officium, vt possit
" & debeat, tanquam Angelus
" Dei, judicium rectum, & se-
" cundùm veritatem ferre: atq;
" ita, vel juxta conscientiam su-
" am de re illa statuere, aut ali-
" um in prioris locum Iudicem
" substituere, eumq; in testem
" producendum decernere. At-
" qui si id Regi persuaderi non
" possit, eam vt provinciã atq;
" curam in se suscipiat, Iudicem
" tamen oportet potiùs Iudicis
" munus deponere, & privati
" testis personam vltrò indue-
" re, quàm contra conscientiã
" suam judicare: eò quòd ve-
" rissimum sit, quod quidam
" dixit, *qui iudicat contra con-*
" *scientiam, ædificat ad gehen-*
" *nam*: quibus deinde subjecit,
" Nihil iniquius esse, & imma-
" nius, quàm vt bonorum cau-
" sæ falsis malorum testimo-
" nijs æstimarentur; sic enim

"neminem bonum tutum esse
"posse, cum nec Christo ipsi e-
"jusmodi testes falsi defuerint;
"nihilo tamen magis injustum
"illum Iudicem excusari. De-
inde verò quòd illam *Boni Viri, & Boni Civis* distinctionem lubentiùs à Domino *Gentili* (quo cum honorifice & nominatim extra ordinem compellato, frequenter disceptabat) vsurpatam animadverteret, quasi liceret cuiquam, vt Civi bono, agere, quod vt bono Viro, non liceret, eadem nihilo excusari judicem probavit; præsertim, "Quum possit, & bonum
"civem, & bonum etiam virũ
"præstare alteri cedendo, qui,
"in locum eius surrogatus,
"possit vel secundùm verita-
"tem exploratam, vel sanã sal-
"tẽ conscientiã ferre judiciũ;
Adeò illud vt verissimum comprobavit quod quidam dixit, *Quid* (inquiens) *fiet de Cive bono, cum Cacodemones, malum virum ad inferos abripuerunt?*
t *Mat.* 27. v. 19. quo Iudices istiusmodi admonerentur, ne quid sibi rei sit cum *t* justo illo,
u *Mat.* 27. v. 4. ne aliquando cum *u* Injusto illo exclamare cogantur, sed frustrà, *Peccavi, prodito sanguine innoxio.*

Quæ

Quæ omnia (vt omittam alia frequenter summo cum acumine interjecta) tanto cum judicio elocutus est, quanto credibile est Scævolam aliquem, aut quodcunq; aliud sapientiæ oraculum, loqui voluisse: tantâ verò orationis Majestate omniúmq; audientium admiratione, quantâ certum est, præter *Iacobum*, neminem potuisse. Quod etsi quivis rerum æstimator prudens, facile deprehendet ex nudis istis orationis lineamentis (ejus enim scelcton tantum assequi potui, ipsam verò pulchritudinem, & quasi vitam non potui) mihi tamen agnoscendum est necessariò, narratiunculæ meæ humilitatem tantùm esse infra rei dignitatem, quantum aut Majestas est Regia supra meæ fortunæ conditionem, aut Regia sapientia extra mei ingenij captum. Quod etiam indicijs non levibus, in altera induciarum controversia eluxit. Nam quum rationes vtrinq; prolatæ irreconciliabiles viderentur, adeo se peritum præstitit, non modò Iurisperitorum jam decertantium, sed ipsius etiam Iuris Moderatorem, " vt quum religioni duceret, " aut induciarum expressas san-

ctiones

" ctiones violare, aut cujusquã
" (cametsi hostis) vitam teme-
" rè impetere, vtriq; periculo
" medicinam salutarem adhi-
" beri oportere pronunciave-
" rit. Idq; (inquit) facilè com-
" parebit, si aliam esse rationẽ
" Principis sive Iudicis supre-
" mi, aliam subditorum, & Iu-
" dicis subalterni, observave-
" rimus; ideoq; vt subditi fa-
" cere debeant secundùm leges,
" & sententiam Principis supe-
" rioris, ita & Princeps debet
" vim superiorem agnoscere,
" Dei scilicet mapum: Si ergo
" Induciæ inter Me, & Turcam
" seu Principem alium aliquẽ
" factæ fuerint, & post induci-
" arum tempus elapsum ali-
" quis, quem tempestas maris
" in partes Britanniæ Boreales
" adegerit, ibi inventus fuerit,
" si ab incolis ibidem degenti-
" bus dictum induciarum diem

cog-

" cognoscentibus, non autem
" mentem Regis, occidatur, non
" sunt in culpâ; quia superior
" vis semper est agnoscenda,
" nec ad illos pertinet, sed ad
" Principem strictum jus ex æ-
" quitate moderari. Iudex au-
" tem inferior, hominem ita
" captum liberare non debet,
" sed Regis arbitrio reservare,
" qui eum potest, & debet ser-
" vare. Nam Rex ipse debet
" etiam cedere vi maiori, quæ
" à Deo proficiscitur, atq; ita
" aliquid de jure stricto remit-
" tere.

Sed quid ego tam sacra eloquia, tam illotâ manu, tam disparì stylo vlteriùs contrectem? Credite, mihi credite, humeros tanto oneri impares meos sentio; nec quicquam magis metuo, quam ne tripodem illum catumelhâ afficiam, cujus Oracula pro ingenij mei mediocritate, amoris verò immensitate, laude aliqua afficere statuissem. Parcite, verò, mihi parciter, *Florentissimi Oxonienses*, si dum amotis officio, & officij amore abripior, ab-

ab ingenio videar derelinqui; subvereor enim, qua estis in Regem optimè meritum, optima voluntatum propensione & gratitudine, ne vestrũ candorem suboffenderim, qui temerario ausu, calamóq; meo (quid enim dissimulem?) verè anserino, eas Regiæ loquelæ laudes profanem, quas ingenio, & acumine Aquilino, ore verò Cycneo, aut Phœbeo potiùs, concini celebrariq; debere censuistis. Quemadmodum enim amatores, Amasias aut Dominas suas tabulis depingi minùs pulchras, quam eas ipsi animis finxerunt suis, ægrè ferunt; ita nec ita modò, sed multò etiam ægriùs meruo feretis, cum, quem vos habetis, quiq; vos habet in delicijs, vili orationis meæ penicillo depictum intueri, vivoq; illo succo, & colore denudatum, quo præsentes præsentem tanta admiratione, & quasi miraculi loco habuistis. Testes incredibiles applausus vestri, in Academiâ antea inauditi, tum verò tam frequentes, vt eloquentem Regem ad singulas penè sententiarum periodos, quasi gaudij vestri impotes, acclamationibus impediveritis. Hîc enim illud doctorum hominum x *Nil admirari* meritò dictum apud doctos, atq;

x *Hor. ep. l. 1 Ep. 6.*

Nunc

Nunc *admirari prope res est una Numici*, quæ omnium animos eruditorum, quamvis etiam è Secta Stoica, vel invitos abriperet, vel ex invitis redderet lubentissimos. Nec enim Academici soli tantæ voluptatis impotentia superati, sed splendidissima etiam Procerum caterva, venerandiq; Senatores manus suas, habenis Reipublicæ moderandis adsuetas, ingentis lætitiæ sensu complodere docuerunt. Et, quod priori voluptati incredibilem fecit accessionem, *Regina Anna*, tanquam altera in medio plaudentium Heroinarum choro Diana, vnáq; *Henricus Princeps* exultabundus manus tenellas, & beatas, tanquam communis lætitiæ lubentes testes, crebris splendidisq; applausibus diverberabant. Quid plura? qui tantæ delectationis impetu non percellatur,

Is mihi dura silex, aut stet
Marpesia cautes,

& qui, gaudentibus omnibus, vnà non lætatur, ille per me, gaudentibus omnibus, solus lugeat.

Istas tandem jucundissimas deliciarum dapes, sole jam ad vesperum inclinato, claudebat doctissimus *Gentilis* oratione differtâ, quâ beatam prædicabat jurisprudentiam, quæ tanti iterum

rum ꝛ *Justiniani* auspicijs fuerit illustrata. Iurisperitis verò suis meritò congratulabatur, qui tam potentem Monarcham, eo ipso die, non facultatis tantum suæ peritum, & studiosum, sed sui quasi Ordinis Professorem, & Mecænatem experti fuerant. Ita, omnibus seriò exultantibus, disceditur.

Sed brevis est intermissio voluptatis, quam statim à Cœnâ renovant perjucunda Tragœdiæ spectacula, & quasi seriæ antegressæ disputationis condimentum Fabulæ (quam delecti ex vniversa Academia adolescentes egerunt) nomen AIAX FLAGELLIFER, titulo ex *Sophocle* mutuato, sed re, tam diversa, quàm idiomate. Cujus argumenti factus est delectus, non tantum quod splendidâ pomposaq; representationum varietate, tantis spectatoribus delectationem affluentem ministraret; sed quòd materia etiam videretur Aulicis, Academicisq; auribus, animisq; perquàm accommodata. Celebris enim representatur illa de *Achillis* defuncti armis contentio, quæ sibi pro militaris virtutis præmio vendicavit *Aiax*, sed obtinuit *Vlysses*, prudentiæ meritò, & literatæ facundiæ. Victus miles theatrum, circúmq;

ꝛ *Et huiusmodi quidem Iustinianum & desiderat & iam sperat Britannia in legibus Municipalibus earumq; in numeris Professoribus (totius fere regni hirudinibus) in ordinem redigendis, & reformandis; graviora enim damna patiuntur sæpe Cives ex ipso iure, quam ex iniurijs quibus propulsandis iura conduntur*

circúmq; omnem furioso complet boatu, Furias evocat, Deos hominesq; execratur, nihil præter minas, & vindictam spirat. Sed & vanæ iræ, sine viribus, & vires sine prudentia; inq; domini perniciem cedit ferocia, quã non literarum & doctrinæ cultura temperat. Post varia furibundi hominis facinora, ovium gregem, ducum Græcorum vice, contrucidato, ingenti arnete pro *Vlysse* immaniter flagellato menti tandem restituus sibi mortem consciscit, dementior quàm quum demens. Domini mortem miserimè luget *Tecmessa*, sed eiulat Umbra *Hectoris*, quæ *Aiaci* infensissima, Chori præbebat vicem. Quæ omnia quàm mirificè, & aures, & oculos varietate pascerent, facile non est dicere, eóq; magis quòd pro materiæ varietate, tota Scenæ fabrica, & artificiosus peripetasmatum apparatus; iterum atq; iterum, mirantibus omnibus, innovarentur: vbi modò *Troiæ*, & littoris *Sigæi* ideam vivam conspexeras, mox sylvas, & solitudines, horrenda antra, & furiarum domicilia; hisq; subinde vanescentibus, Tentoriorum Navíumq; faciem jucundissimam inexpectatò contuereris,

ACTA

ACTA TERTIÆ DIEI.

Ametsi ex istis literarijs debitis, quibus & diem totam, & noctis etiam ferè mediocratem principes patientissimè impendissent, non modò ad satietatem hausisse, sed ad tœdium etiam exhausti videri possent nisi eorum incredibilis esset erga sapientiæ studia propensio; *Iacobus* tamen, quasi a Sol ille, quem in Britanniâ non occidere, aut resurgere retulit *Tacitus*, sed ita leviter tantùm noctû transire vt finem atq; initium lucis exiguo discrimine internoscas; prisco more præsentiæ fulgorisq; suj Phœbeæ iterum lampade eruditos Phœbi alumnos illustrare statuit. Nam post com-

a *Tac. in vit. Agricolæ.*

munem

munem animarum Reiq; Publicæ
salutē, ex legibus diuinis, atq; humanis (quæ superioris diei pensa) æstimatam tertiam jam curam corporis saluti, id est Medicinæ, impertiendam censuit; vtpote cui probè innotuisset illius dicti veritas (etsi à [a] nasuto nescio quo contorti) quo tria illa quæ possidemus, & quæ nostra dicimus, animam, corpus, & fortunas intelligimus, non ita esse nostra, vt arbitrio nostro habeantur, & regantur, sed dependere potiùs animam à Theologorum, fortunas à Iurisprudentium, corpus autem à Medicorum, etsi non arbitrio & libidine, (vt dixit ille) at disciplinâ tamen, & institutione. Quo in genere cum eos, meritò plurimâ prosequamur veneratione, qui ita operam nauant suam, vt quàm plurimis prodesse possint, nemo nisi iniquissimus rerum æstimator, boniq; publici pessimè invidus, *Iacobo* nostro recusabit immortalem gloriæ aram figere, qui ipse adeò mirabilem in *Theologia*, *Iurisprudentia*, & *Medicina* arcanis peritiam, eamq; planè (si negotiorum immensitatem spectes) diuinitus affectus est, vt si quid fraudis fuerit, in pulcherrima ista studia irrepserit, illud

[a] *Clerk de Anl.*

vni-

vniversum, non modò diuino ingenio possit deprehendere, sed affectu etiã Heroico extra ditionum suarum oras amandare satagat.

Invaserat quidem gentem nostram Britannicam exoticis semper ineptiis plus satis addictam. *Indici medicamenti* dicam, an morbi? affectatio; dùm omnes plerique *Nicotiani fumi* (annon fimi potius?) halitu ita prægravantes capitis defluxus devocant, vt eorum cerebra verè levissima, ne ingenioli quidem pondere opprimantur. Homines ipso, quem hauriunt, fumo leviores; quorum quia perquàm multi, serâ ducti pœnitentiâ, illud de suo medicamento expertifuerant, quod de *Maria*, *Syllaq;* dictum, *medicinam morbo multò deteriorem*: pharmaci huius vires, virusq;, subire jam Asclepiadei huius Lycæi examen debere censuit prudentissimus Rex; vt ita & Regiâ & Academicâ censurâ, & nigri θῦτα adiectione in exilium æternum (si fieri posset) e ijceretur. Atq; hanc disquisitionem vsui publico indultam voluit; alteram verò priuato suo; quamquam & ea maxime in publicis sunt ducenda, quæ vel priuatim ad Principes spectant. Nam quum ea Principis verè

boni

boni cura esse debeat, vt rem publicam, quâ ipse florenti potitus est, posteris etiam suis immortalem transmittat, frustraq; de illa ciuium felicitate consultaturus est, qui de liberis etiam suis, ab ipso ortu, virtute, morumq; probitate imbuendis, tempestivè non deliberet, ecquis est qui non istam in Rege optimo, maximam exosculetur curam, qui ne de ipsis sobolis suæ cunis, & vagitibus securus esse potest, nisi omnis, vel levissima indolis contaminandæ suspicio præcidatur? Hinc istæ emerserunt quæstiones duæ, suo vtraq; tetrasticho explicatæ. Prior.

An mores Nutricum *à puerulis cum lacte imbibantur?*

Mores vix Mater, Nutrix minùs inserit; indit.

Mos mores; Corp' lac alit, haud animã.

Capra Iovi *Nutrix,* Cyro *canis, & lupa* Proli

Martigenæ, *ex illis num lupa, capra, canis?*

Posterior, *Vtrum frequens suffitus* Nicotianæ *exoticæ sit sanis salutaris?*

Quid censum (vereor ne sensum) insumimus herba?

India, quã mittit, sed minùs inde boni.

Nũ sani, insani qui fecimus aspida merces?
Quo prosit sanus nõ habet, æger habet.

Vtramq; harum splendidâ, copiosâ, eruditâ oratione illustravit vir perquam illustris, Dominus *Gulielmus Paddæus*, tàm purpuræ Hippocraticæ, quam Equestris balthei splendore nobilitatus, eo quidem nomine nobilior, quòd cum illinc, splendentium Aulicorum, hinc, certantium Academicorum ordines contueretur (quorum vtrorumq; gloria conspicuus erat) maluerit se eorum numero adjungere, qui literarum quàm qui fortunæ splendore florerent. Quo facto, & illam prudentis Imperatoris b *Sigismundi* sugillationem prudenter evitavit; qui cum *Georgium Fiscellum* & Doctoris, & Equitis vnâ insignibus ornatum, videret, Doctorum subsellijs relictis, Equestribus se libentiùs adjungere; *Stulte* (ait) *qui literis c Militiam præfers! Nam ego Equites, mille vno die fecerim,* d *Doctorem vnum ne tocidem*

b *Æneas Sylvius, de rebus gestis Alphonsi.*

c *Nam Equitum, Armigerorum, Comitũ, Dis cum, tituli plane militares sunt ideoq; Medicus aut Leguleius, qui Eques audire ambit æq; prudenter agit, ac si bellator ob rem bene gestam Medici aut Iuridici nomine remunerari cuperet.*

d *Hic enim titulus est meriti, non gratiæ, sed Papa liberalior Imperatore fuit, quum crearet omnes Doctores qui starent supra pontem, vnde quæstio nata est in Foro Papali, an Muli qui tum stabant supra pontem essent Doctores; quid ni, quum Imperator Romanus faceret Equum suum consulem (teste Dione in Caligula) cur non Papa Romanus faceret mulos atq; etiam Asinos, Doctores?*

annis

annis; & Regis tum præsentis, multùq; Sigismundo sapientioris exemplum tum præsens pro modulo imitatus est; qui quum omnes, qui vsquam gentium, Principes gloria superaret, gloriæ suæ accessionem nō minimam censuit, si Regio diademate laurus Academica emineret.

Et hujusmodi certè propugnatore opus fuit, qui & Eques animosè, & Doctor eruditè (etsi alias animo in *Nicotianam* non nimiùm hostili) impius adversariorum tam potentiùm sustineret. Erant Ij ex omnibus *Æsculapij* filijs purpuratis lectissimi, eruditione multâ, praxi longa, conspicui; Dominus Doctor *Ailmerth* publicâ diu Theoriæ Medicæ Prælectione plurimum laudis consecutus, Dominus Doctor *Guyn*, è Collegio *Sancti Iohannis Baptistæ*, Dominus Doctor *Gifford* è Collegio *Novo*, Dominus Doctor *Ashworth*, è Collegio *Orielensi*, Dominus Doctor *Cheynell*, è Collegio *Corporis Christi*, quorum singulorum singulare judicium ita rerum controversarum scrupulos, & involucra excussit, & acuisen, aures animumq; Regis intelligentissimi deliniuit, vt inde omnes intima voluptate perfunderentur, quum Regem

gem suum optimum tam intiꝫ voluptate perfusũ cernerent. Regis verò ingeniũ solidũ à fumis imprimis abhorrebat, & auditis, summiq; judicij lance perpensis singulorũ vtrinq; rationib⁹ "Istum *Nicotianæ* suffitum, seu "potiùs fœtorem (sic enim dici "maluit) nullum aut in vsu so- "briorum hominum, aut in "schola sapientum Medico- "rum locum habere oportere "palàm indicavit. In omnibus "enim Artibus & Scientijs cer- "tissima quædam fuisse earum "facultatum Principia, & A- "phorismos; cuiusmodi, cum in "Medicina ab *Hippocrate*, *Ga- "leno*, & alijs tradita fuerint, "nihil facilè temerè ve oporte- "re admitti in communem me- "dicandi vsum, quod ab eorum "sapientissimis institutis ab- "horreat: Istorum verò Prin- "cipum Medicorum neminem "adhuc reperiri, qui fumos "(præsertim fœtidos) cerebro "potiùs noxios esse quàm sa-

lutares

" lutares non docuerit. Nemi-
" nem autem nisi insipientem
" vsurpare solere, quod à ne-
" mine sapienti præscribi intel-
" ligit. Oculus humanus ex fu-
" mo lacrymam emittit, & hu-
" morem; ideóne fumum oculo
" prodesse asseverarem? Præte-
" reà, quis est qui nescit fumos
" in fluorem converti solere,
" præsertim frigiditate cerebri
" accedente, vt videri possit,
" non tàm elicere humorem,
" quàm efficere? Quinimo ple-
" runq; fit, vt humor, qui ex se
" innoxius esset, nec cerebrum
" læderet aut vexaret, istius te-
" tri (& fortè venenati) fumi
" fuligine interveniente, &
" prægravet cerebrum, & ma-
" lignitate lædat. Quòd si quid
" aptum ad cerebrum purgan-
" dum, & à superfluis exone-
" randum quæratur, alia pro-
" batissima olim à Medicis præ-

"scribi remedia, alioſq; modos
"abſq; iſtis fœtoribus, qui ma-
"gis noxia inducunt, quàm ex-
"cernunt, ideoq; ſi ſalutares
"cenſeantur vllis ſanis, at certè
"nec ſanâ, nec ſobriâ mente
"præditis. Quandoquidem ſit
"contra eorum e Principia il-
"lud hauſto fœtore efficere,
"quod cum bono ſuaviq; o-
"dore effici poſſit. Illud por-
"rò cum altero Medicorum
"principio planè pugnare, qui
"certis morbis certa etiam re-
"media præſcribunt; nec mor-
"bi tantùm rationem habent,
"ſed & temporis, quo mederi,
"& hominis, cui mederi cupi-
"unt. Sed nullum vnquam me-
"dicamentum ſanis omnibus
"& inſanis, omnibus in locis &
"temporibus (*præter Nicotia-*
"*niſtas*) vlli vnquam ſumen-
"dum putârunt. Itaq; qui hoc
"faciunt, faciunt quidem & ſi-

ne

e *Paulo deterior ſed ſuavior cibus et potus melior quidem & ingrato præferendus, Hippocr. Aphor. 38.*

"ne certo commodo, & sine
"certo vllo exemplo, sed non
"sine certo fœtore sibi ipsis, &
"nauseâ aliorum. Cui tamen Regiæ adversùs fumum censuræ, accessit quamvis aduersa, peropportunè tamen facunda, & ad hilaritatem decorè concinnata oratio, qua, Opponentium ordine quidem nouissimus, sed meritò Medicorum nemini secundus, *Dominus Chymellus*, fumi tubuliq; (quem manu prætendebat mirabiles laudes, & præ reliquit omnibus pharmacis) potentem virtutem ad cœlum extulit. Cuius eruditi prudentissiméq; temperati sales, eò magis Regis, reliquorùmq; omnium animos oblectabant, quò liquidius indicabant, ipsum tam animo fuisse *Nicotianæ* hostem, quàm lingua patronum; præsertim quum postea ostenderet Medicos nostros fumi huius rectum vsum à Medicis *Indiæ* (vbi & herba nascitur, eiusq; primò virtus innotuit) discere debere; illos autem, etiam quum ipsi maximè fruantur sanitate, nunquam nisi fumo hoc prius inebriatos, ad ægros accedere consuescere; idq; lege sub graui pœna esse sancitum; quasi esset & ægris salu

re, & Medicis honorificum, neutri vt sobriè inter pharmaca versentur. Cujus vesanæ consuetudinis commemorationi, [d] *Benzenis* etiam testimonio comprobatæ, subiecit Rex:

[d] *Benzo l. 1. Novi Orb. c. 26.*

"Satis quidem apparere, tam "barbaram consuetudinem, "non nisi à Barbaris & Indis "traxisse originem, qui tantam "habent peritiam Medicinæ, "quantam morum civilitatem. "Quòd si qui fortè sint, quo- "rum corpora meliùs viden- "tur se habere propter hunc "fumi vsum, id non tam facere "ad laudem medicamenti, "quàm ad vituperium ipso- "rum, quorum corpora ita in "barbarorum naturam dege- "rârunt, vt ijsdem tantùm de- "lectare, & sanare possint, qui- "bus Indi & Barbari. Ideoq; "quotquot apud nos sunt Me- "dici Tobacchonistæ, censere "se æquum esse, adeoq; percu- "pere, vt in Indiam istam (vnde

orti

"orti sunt) relegarentur, vbi "absq; nostratium hominum "contagio aut nauseâ, vnà "cum ebrijs istis Medicis li- "berè se inebriarent, ibiq; de- "inceps artem suam exerce- "rent.

Reliquâ quid morer? aut quid singulorum disputantium laudibus, quas anteâ semper maximas meritò comparaverant, nobili tamen istoc certamine insigniter amplificarunt, insistam? Quanto minus istum in Rege meritò mirando, meritò amando, laudum quasi Oceanum, stramentrè atq; encomij mei guttulâ augeri posse sperem? Sed nec spero, nec molior. Cupio tantùm cum [e] *Stratone* illo, mundo huic cæculo, nubibusq; ignorantiæ serviliter obsesso, solem hunc etiam in occidente nostro orientem digito ostentare, quem orientes populi mirentur, Principes imitentur. Æternumq; atri, & tetri sunto & habentor, qui non tàm cute, quàm corde [f] Æthiopici, Solem, quò magis luceat, eò magis execrentur. [e] *Iust. l.* [f] *Herod.*

Toti huic tandem antemeridiano cer-

certamini felicissimè decertato laudatissimâ oratione, coronida finemque imposuit eximius in Medicina Dōctor Professorq; Regius Dominus *Warnerus*, qui omnia luculento genio polivit, quæ aut ad vitamq; Thesin illustrandam, aut tantam præsentiam demerendam quisquam, etsi avidissimus, optaret. In *Nicotiana* præsertim fumo denigrando felix; cujus infundibulum seu fistula (sic enim appellant) etsi jam apud Nobiles nostros in patrium morem æq; inoleverit, ac olim apud nobiles *Athenienses*, *tibijs insufflatis canere*, deceret tamen *Alcibiades* nostros, illius § *Atheniensis* exemplo, nostrasq; Heroinas exemplo Palladis, fistulas tam deformes, tam fœtidas, tam spurcitias delpuere, confringere, abijcere. Quid dico *Alcibiadis* exemplo, aut Palladis? quum domi habeant *Alcibiade* multò potentiorem, doctiorem, sapientiorem *Jacobum*, paremq; *Palladi* prudentissimam consortem tantæ spurcitiei desormitatisq; non improbatores modò, sed osores etiam manifestos.

§ *A. Gell. l. 15*

Regis ad exemplum cur non componitur orbis?

Archiatri tandem *Warneri* vota, comprecantis Regi, ne Medicinæ (quam

co

eo die tam sublimi præsentiæ, orationis, attentionisq; suæ honore affecerat) ipse vnquam ope indigeret; omnium idipsum aliáq; omnia felicia comprecantium vota, strenuè subsequuta sunt.

Partem aliquam (quinimò & omnem) *Venti Divûm referatis ad aures.*

Istæ dum audiuntur, animûmq; gratissimæ dapes Principibus apponuntur, in Templo *Beatæ Mariæ*, aliæ interim ad palatum apparantur in *Collegio Beatæ Marie*, quod vulgò *Novum* (etsi reverâ [h] perantiquum) dicitur, vbi toto Regiæ in Academia commorationis spatio, diversari placuit *Cancellario Vniversitatis*, Dynastæ verè magnifico: quiq; jam serenissimos Principes, Legatos, totúmq; Nobilitatis comitatum illuc invitârat. Collegium id à Templo ad Euro-septentrionem mediocri vltra plateam ([i] *Mu-*

[h] *Tempore Ed. 3. sed eo loci fuisse Neoti (tempore Alured.) Collegium & inde hoc Collegium retinuisse* Neoti *nomen (etsi propter affinitatem vocis Anglicæ vulgus* Novum *appellat) refert Foxus in Martyrol. cujus tamen conjecturam vix aculam magis quam nullum antiquioris ædificii vestigium, tempore Wiccami extiterit, quem latissimum illum terræ ambitum, in quo Collegium ab illo fundatum nunc splendet, maximo pretio, a diversis personis coemisse, testatur situs Collegij elegantissime descriptus in Archivis eiusdem.*

[i] *A Catis, seu Murilegis dictam* Catstreet, *quanquam non male conjectant, qui antiquitus* Catharinæ *plateam dictam putant & contracte* Catestreet *quod ibi olim esset Aula S. Catharinæ*

rilegorum nominatam) per *Cervinam* Studiosorum *Aulam*, diverticulo, dissitum; *Gulielmi Wicchami* summi olim Angliæ *Cancellarij*, & *Episcopi Wintoniensis* splendidum opus. Erat is, præter illustrem Doctrinæ gloriam, illius seculi [k] nominatissimus Architectus, quâ singulari peritiâ, tantum est & gloriæ consecutus apud alios & gratiæ apud Regem suum *Edwardum tertium*, vt splendidissima illius ætatis ædificia Regia, arces, propugnacula, quæ numero, splendore, sumptu, vltra fidem Rex ille optimus, fortissimusq; dicitur excitâsse, [l] hujus solius exquisito ingenio fideiq; ascriberentur; ipsumq; vicissim à quo sunt excitata, ad ingentes honores excitarent. Quę vtraq; (vt alia infinita taceam) vnica illa, in Arce *Windesoriensi* ab illo constructa, comprobat amphibologia, quam istis voculis insculpi jussit, HOC FECIT WICCHAM: quo nomine cum ei ab invidis apud Regem odium concitaretur, quasi Regiæ magnificentiæ gloriam ad se suffura-

[k] D. Martinus *lib. de vita Wicch. vbi erudite eorum calumniam refellit, qui cũ literarum fuisse imperitum, & Mechanicæ tantum Architecturæ laude commendatum vulgarunt.*

[l] *Ideo crederem in eius gentilitijs cõspici insignibus (quæ eadem sunt Collegij) inter tres Rosas, binas acuminatim deflexas trabes, quales adhibentur ab Architectis in summis ædificiorum fastigijs,* Cheuronas *Heraldi nominant, & Architecturæ peritiam his denotari agnoscunt.* [m] *Camd. in Attre.*

retur,

retur, eam sapienter æmulorum suorum sycophantiam diluebat, cum Regi responderet, non se scripsisse, quòd ea illustria ædificia feciſſet *Wicchamus*, sed quòd ista feciſſent *Wicchamum*, eumq; excitassent ad eam (quâ tum pollebat) Principis sui gratiam. Nec minorem Architectonicæ subtilitatis gloriam, pietatis verò majorem multò assecutus est, ex ijs, quas sumptu suo, literis religioniq, sacravit, structuris planè Regijs. Quis enim nisi Regiæ magnificentiæ æmulus (vt interim incredibiles in [n] Ecclesiam *Wintoniensem* expensas taceam) duo simul ausus esset tam immensi sumptus, splendorisq, Collegia moliri, quàm ille *Oxonie* posuerit, & *Wintonie*; eo animo, vt ex illo *Wintoniensi* refertissimo alveario, perpetuò surrogentur, quot-quot spei sunt optimæ, atq; indolis, in hoc celeberrimum *Oxoniense*. In quo, sub vnius *Custodis* regimine, septuaginta socij bonarum artium studijs insudant, & triginta Symphoniaci; Templum, quod ibi conspicitur augustissimum, insigni modulationum æstimatione nobilitant. Famuli (pro dignitate tantæ fundationis) perquam multi; reditus etiam, pro dignitate tanti Fundatoris, perquàm

[n] *Cuius partem inferiorem, quam Navem appellant, ea qua iam vidistur magnificentia restauravit; partem enim superiorem, seu chorale (quo vix vspiam etiam splendidius pluribus ve regalium antiquitatum monumentis illustratum) Foxus Collegij Cornutis Christi Fundator, extruxit.*

opimi. Totius & Templi, & Collegi structuræ amplitudo, & majestas, architectum verè regificum loquitur; & subcelsi parietes, altero jam inscriptionis suæ sensu superbiunt, plenéque sine amphibologia jactant, *Hoc fecit Wicchamus*. Has ille fecit Pyramides, quę procul advenis à planicie Boreali oculos tenent. Hanc ille Ecclesiam magnificentissimam, pannarum multitudine, & elegantiâ spectabilem; Hæc ille clausura speciosa, eruditissimorum hominum deambulacris frequentata; Hanc ille triplicem *Bibliothecam*, ornatissimamq;, quâ animi studiosis saturantur; Hoc ille nobile Campanile, à quo incolis toties mulcentur aures; Hos ille muros (hortos, viridaria, topiaria delicata ambitu complexos) quibus vix vspiam firmiores, quosq; eo consilio tales se fecisse o testatur, vt hostium si fortè bellum ingrueret, possent obsidionem sustinere. Ita suos tam Marti quàm Mercurio voluit esse; eumq, in finem duarum turrium ejus propugnaculis, amplam Collegij aream munivisse videtur, quarum altera aditum ornat, altera ferè opposita, propyleum occupat sublimis Aulæ Regio jam convivio destinatæ, ad quam amplâ spectabiliq;

• *In Statutis Collegij.*

ſpectabiliq; ſcala lapideâ aſcenditur. Principibus ingredientibus, Poetarum pio affectu laſcivientium gratulabundæ Camœnæ vndiquaq; muros veſtiunt; & de te, *Cæſar Britannice*, ſincere, quod de Romano illo dictū hyperbolicè, *Parietes medius fidius loquuntur clementiam tuam.* Cui acceſſit diſerta, ſeria, miniméq; poetica, aut luſoria amoris gaudiiq; teſtificatio (*nam & gaudium res ſeria eſt*, inquit *Seneca*) quâ Principes aulâ jam potitos accepit Inſignis ſimus Collegij Cuſtos *Dominus Doctor Riues*, primo orationis ſuæ limine excuſationem ſui totiuſq; etiam Academiæ præfigens æquiſſimam, "*Quòd ita nullum vnquam finem* "*dicendi facerent ſed novas ſemper præ-*
"*cedentibus congratulationes adiange-*
"*rent*, Sereniſſimæq; *Maieſtati Regiæ*,
"*quocunq; incederet, vbicunq; inſiſteret,*
"*officioſam, & verboſam hanc moleſtiam*
"*exhiberent: cum duo ſint, quæ ad id im-*
"*pellant, cogantq; incredibilis ille in Rege*
"*longè optimo virtutum ſplendor, & im-*
"*menſa beneficiorum, quibus per ipſum*
"*fruimur, magnitudo. Altero enim, non*
"*nos ſolùm, quos divina clementia tam*
"*optabili, atq; amabili imperio ſubiecerit,*
"*ſed totum ferè humanum genus ita de-*
"*vinciri, vt exteræ nationes, ſecibus ſuis*

exſitæ

"excitie, conspectum tam augustæ, tamq;
"propitiæ Maiestatis avidè desiderent. Al-
"terius verò seu coruscantibus radijs in-
"timos illum animorum omnium recef-
"sus penetrare, eosq; in admirationem
"tam cœlestis, & iubaris instar, micantis
"excellentiæ rapere, & accendere, quum
"nec vspiam doctrinæ, virtutis, pietatis,
"quicquam reperiatur, quod in sacrosanc-
"simo divini istius pectoris scrinio sedem
"& domicilium non collocârit; nec vlla
"vnquam beneficia maiora hominibus con-
"cessa, viderimus, legerimus, acceperimus,
"quam quæ Deus pleno, & quasi exun-
"danti manu, per aureum istum impla-
"vium in nos effuderit. Sed istas Encomiastes agendi partes modestè à se, quasi impari tantarum virtutum præcone, deprecabatur. Ideoq; multo
"libentius gratulandi partibus susceptis,
"Augustissimæ tantorū Principum Ma-
"iestati aduentum ad magnificum illud
"Collegium congratulabatur; imprimis
"quidem nomine Illustrissimi Heroïs, Co-
"mitis Dorsetensis, Honoratissimi vestri
"Cancellarij, Summi totius Angliæ The-
"saurarij, bonarumq; literarum fautoris,
"& Mecœnatis optimi, qui tum demum
"se omnium laborum, vigiliarum, expen-
"sarum, quibus ille mirificè hanc Acade-
"miam auxit, provexit, ornavit (& quæ
marmoream

" marmoream invenit, auream effecit) se
" fructum uberrimum percepisse arbitra-
" batur, quòd Regia sublimitas, non solum
" Academiam invisere, sed & hanc domũ
" adire, eiusq; hospitio uti gratioſè digna-
" ti fuerit: deinde etiam Wicehamicorum
" omnium nomine loci & Collegij illius
" incolarum, quibus nullus unquam dies
" lætior affulsit, quàm quòd Sacratissi-
" mam Maiestatem Regiam, cuius (post
" Deum) solius munere, pacem tranquil-
" lam, rerum omnium affluentiam, literis
" imbibendis otium, & quod caput est, re-
" ligionem, non minùs à superstitionis fæ-
" ce, quàm schismatis novitate repurgatam
" possident, intra suos parietes, & in istius
" Collegij præcinctu conspicere daretur.
" Quæ quum brevitate, & elegantiâ
" tempestivâ ornâsset, vota nuncu-
" pavit Regi felicia, ut & vitam lon-
" gam multâ cum felicitate peragaret, &
" quum naturam vivendi satietate exple-
" turus esset, de Regno in Regnum, sed
" multò excellentius, de vita in vitam,
" sed multo beatiorem, id est, è terris in cæ-
" lum, ab Anglis ad Angelos transiret,
" ibiq; coronam gloriæ immarcescibilem,
" & vitam nullis seculorum periodis fini-
" endam consequeretur.

Quantùm Rex ista amoris officiiq; testificatione delectaretur, & ver-

bis

bis statim amantissimis explicuit, & beneficio posteræ diei, quâ clarissimum *Rivium* sibi à sacris deinceps privatioribus futurum honorificè adscivit.

Epularis aulæ tantis convivis jam beatæ, supremam partem Regale ornavit Conopeum; Sacrâq; in medio ad mensam accumbente Maiestate, à dextrâ sed longè ad ipsam Regiæ mensæ extremitatem dissitus, Princeps accumbebat *Henricus*; cui ad alteram mensæ extremitatem; obiecti assidebant Illustrissimi Legati duo, medioq; à sinistrâ Regis intervallo, Reginæ resplenduit pulchritudo. Totam inde Aulæ dexteram longitudinem (quæ planè spectatissima) Dynastarum, Satraparumq; mensa obtinet. Sinistrâ vniversâ, pegmata, & spectacula vasorum ex auro, argentoq, prorsus Attalica refulgent. Ita porrò omnia dulcissimis harmonicarum deliciarum dulcedinibus demulcebant excellentissimi Musici, (qui Cancellario semper in familia) vt non palati modò sed & oculorum atq; aurium hic epulas existimares. Ipsam verò epularum magnificentiam insolentem, si tantâ ornare molirer verborum varietate, copiâ, splendore, quanto

quanto ad ornandam mensam omnia instruebantur, meuierem ne omnes mihi verborum apothecæ, & [1] *Apicii* scriptoris nunquam famelici nomenclatura esset exhaurienda: & si non alium ornationi meæ ponerem, quæ magnificentissimus Cancellarius suis sumptibus posuit modum, modum ponerem nullum. Etenim nullus modus, ejus vel in Principes officio, vel in Academicos amori; quorum vtrinq; gloriæ, existimationiq; census, sensusq; suos omnes lubens devovet; idq; vel hinc perspicuum est, quòd quam diu Regium lubar Academiam istam illustraret, hujus quoq; magnificentiæ splenduit fulgor continuus. Non fores modò omnibus apertæ, sed & mensæ perquàm multæ per varia triclinia omnibus sine delectu advenis splendidè paratæ; Nobilibus autem Aulicis atq; Academicis, conviviorum perpetuò fastus adeò Regificus, & ita splendidis famulantium ordinibus spectabilis, ac si non hodiernis tantùm, sed quotidianis mensis Principes excepisset. Nec hisce contentus, quasi istæ amplissimæ Ædes pectoris sui magnificentiæ essent impares, atq; angustiores, quos opportunè mensa non potuit excipere,

[1] *Scripsit is de omni dapum lautitia instruenda libros decem. Quanquam hunc censeam alium esse ab Apicio illo celebri apud Romanos Gulone, de quo Seneca ad Elbiam matrem, & lib. 6. hist. nat. c. 17. Athenæus lib. 1 & 4. Appian. Alex. librum scripsit περὶ τῶν ὀψοποιῶν.*

re, eorum domi mensas prodigè ornat epulis; nec vllum erat Collegium quod amoris atq; honoris ergò, lectissimæ Ferinæ generosissimíq; vini copia non donavit. Quid autem Nobilibus tantùm hospitibus immoror? quum eorum multitudo non minor, quibus major indigentia; quorum curam adeò piam gessit Cancellarij Amplitudo, dum munifico ciborum apparatu, eorum multiplices, & seriatim dispositi ordines assiduè pascerentur vt facile sit videre, amplissimum illius pectus, ita *Agamemnoni* devotum, & Vlyssi, vt *Iro* etiam suus locus, suus affectus sanctè relinqueretur. Neq; hic quisquam, nisi invidia macilentus, orationem meam increpet, incilétq;, quod in illius munificentiæ verè heroicæ gratam recordationem verbis prodigendis non parcam, qui incredibilibus tum sumptibus in Academia ista cohonestanda non pepercit. At nec sumptibus tantùm, (quanquam illi & tum, & semper alias immensi) sed nec vigilijs pepercit noctú nec laboribus diurnis, nec perpetuis curis, atq; assiduæ solicitudini, vt qui putaret æstimationem jam suam saluti suæ præponendam, gloriam tamen Academiæ etiam

suæ

suæ anteferret. Quæ ejus illustria in Regem officia, in Academiam beneficia, candidissimum pectus Regium non latuerunt, ac ne alios lateret, Rex, priúsquam à mensa surgeret, magnificum Cancellarium ad se vocatum, poplitéq; prostratum, cumulatissimis gratijs remuneravit, inq; amoris acceptatissimi indicium, Regio cratere, vino spumante provocavit: quem iterùm, iterúmq; à Rege exporrectum, cum submississimè recusasset, vino, quod, è cratere Regio Reliquum, in Scyphum prægustatorium effuderat, genibus advolutus respondebat.

Rex interim (more suo) quantùm istis tragematis saturatur, tantùm dapum philosophicarum appetitu accenditur; Aulicisq; festinationis è conviuio insolentiam, & insaturabilem Regis literatissimi πολυμαθίαν admirantibus ad Templum denuo conclamatur. Ibi enim principes iterum expectabantur, á sagacissimis arcanorum naturæ indagatoribus, qui duarum iussu Regio selectarum Thesium examen pollicebantur: Primæ,

Vtrum operâ artis possit aurum confici?

Spe

Spe fold dives Chymicus, re vivit egenus,
Naturæ proprium dum facit artis opus.
Ars impar, par pœna; Midas res vertit in aurum
Omnes; hic nulli vertit, vterq; perit.

Secundæ,

Vtrum Imaginatio producat reales affectus?

Qualia nostra parit, quot vis phantastica formas?
Quam vaga fert Proteus, quam nova Nilus habet.
Concipit Æthiopem dum fœmina mente nigellum,
Ventre simul fœtum concipit alba nigrū.

Quibus eruditus subtilitatum investigator, Artium Liberalium Magister *Ricardus Andrewes* è *Collegio Sancti Iohannis Baptistæ*, tuendis ornandisq; sufficitur; ventilandis autem, Magister *Lapworth* è *Collegio Magdalenensi*, Magister *Baskervile* è *Collegio Exoniensi*, Magister *Clayton* ex *Aula Glocestrensi*, Magister *Mocket* è *Collegio Omnium Animarum*, Magister *Pinke* è *Collegio Novo*, Magister *Boulton* è *Collegio Ænei Nasi*, viri omnes selectissimi, & sacratioris, secretioriſq; philosophiæ commercio, & insignibus insignes, & quos istius diei gloria ita insigniter

niter decoranit, vt illorum laudibus viritim insistere non grauarer, nisi *Cynthius aurem vellerat.* Velleret? imò mihi, Academicisq; omnibus florentissimis mulceret potiùs, animosq; adhuc suauissima recordatione oblectaret. Nec enim satis habuit Rex φιλοσοφωτατος singularem subtilitatem, quæ multiplices in argumentando se offerebant, scrupulos sigillatim scrutari, eaq; rationum acumina laqueósq;, qui in alterutra Thesi ingenia vel perspicacissima perplexa tenere poterant, retundere atq; solvere, nisi etiam (quo est vt erga fumos ita & fucos omnes animo hostilis vniuersa Chymicorum fallacium auripigmenta igneo illo ingenio difflaret, eorumq; putrida aurifigmenta Lydio iudicij sui lapide penitissimè probaret, reprobaretq;. Agnoscebat quidem (quod necesse "erat) Multorum Principum, "Nobilium Philosophorum, "animos istius Chrysopoeticæ "possibilitatis opinione iam- "diu fascinatos. Veruntamen, "si eiusmodi rationibus ceden- "dum esset, & Principes esse,

atq;

"atq; etiam iam adesse, adesse
"nobiles (nominatim Illustriſ-
"simum Academiæ Cancella-
"rium, Regnorumq, *ſuorum*
"experientiſſimum Theſaura-
"rium *deſignans*) adesse deniq;
"Philoſophos Academicos,
"qui priores illos Principes,
"Nobiles, Philoſophos, ridi-
"culè, ſeriò tamen deluſos, de-
"mentatoſq; certò ſcirent. Iſto
"enim argumento ditatum ne-
"minem, deceptos fuiſſe mul-
"tos, dum id aggrederentur,
"quod faculeatem peritiamq,
"ſuperarer, non modò homi-
"num, ſed & Dæmonum, qui
"vtcunq, illudant (quod nun-
"quam non faciunt) credulis
"hominibus, quos auro ſup-
"poſititio interdum lactant,
"aurum tamen creare, aut trãſ-
"mutare non poſſe, furto qui-
"dem ſurripere, & è loco in lo-
"cum tranſportare, & poſſe

Dæmo-

"Dæmones, & solere. Multò
"minùs posse aurum crescendo
"multiplicari (quod non nemo
"censuit) ex auri semine in mo-
"dum tritici terræ concredito
"(cujusmodi semina *k Caligu-*
"*la* equo suo Consuli facto
"appositisse dicitur, & *l Ari-*
"*stoteles* circa Philippos &
"Macedoniam, spicam auri
"creviisse narratum refert)
"quod si fuisset verum, jam
"pridem habituros non fuisse,
"non agri-culturam, sed auri-
"culturam; omnesq, ad istam
"colligendam messem cupidè
"convolaturos. Quæ cum ea, quę
summè decuit, hilaritate eaq; fronte,
qua nobis *cœlum terras, serenat*, præli-
basset, solida hac, accurataq; oratione,
vitrea, & figulina omnia Chymico-
rum chrysibula irreparabiliter con-
fregit.

k *Dion in Calig.*

l *L. de mirab. Audit.*

"Si quis (*inquit*) humano
"ingenio, aut creari aurum pu-
"tet posse, aut transmutari il-
lum

"lum niti oporteret, vel autho-
"ritate diuinâ vel ratione hu-
"manâ, vel experien iâ. At
"authoritate diuinâ quàm pa-
"rum ſtabiliatur auri Chymi-
"ci fabricatura, non alium de
"opus eſt quærere quàm ex
"ijs, quæ legimus in ſacra Co-
"dice ipſius Dei, quem quum
"Principio *Geneſeos* omnia
"creâſſe didicim⁹, in cęlis aſtra,
"in terris bruta animalia, volu-
"cres qui in aere, & qui in
"mari piſces, ſub terra etiam
"metalla creâſſe omnia neceſ-
"ſariò eſt intelligendum, quia
"dicitur creâſſe omnia. Quorũ
"in numero quum aurũ etiam
"cenſeatur, quicunq; aurum ex
"non auro, aut ex alijs metallis
"facere ſibi arrogat, putandus
"eſt ſpartẽ iſtius gloriæ, quæ v-
"nico debetur Creatori, ſibi
"aſciſcere. Nam quæcunq; tũ
"facta fuerunt. Deo indige-
bant

"bant Creatore, ideſt ſapien-
"tiâ, & potentiâ infinitâ: ideo-
"q; non poſſunt eadem ab ho-
"minibus, quorum & ſapien-
"tia, & poteſtas valdè debilis
"eſt, denuo fieri, aut recreari,
"licèt ingenio humano per-
"mutari poſſint. Nam inter
"creationem, & tranſmutati-
"onem plurimum intereſt.
"Nemo enim neſcit ab homi-
"nibus fieri ex canabe, aut li-
"no veſtes linteas ex his ite-
"rum contritis, & conſuſis
"chartam confici; linum autem
"& canabē diuini opus eſſe ar-
"tificij, non humani; Ita au-
"rifices monilia faciunt aurea,
"aurum nequaquam; Ita & a-
"lij, rerum externam formam,
"& eam tantùm; tranſmutant,
"Materiam autem ipſam, natu-
"ràmq; rerum, & ſpeciem
"nullo pacto. Iſta enim ſpecie-
"rum tranſmutatio, ſi in me-

talli-

"tallicis ſpeciebus concedere-
"tur, cur non etiam in alijs?
"cur non & hominem ex bove,
"aut bovem ex equo facere
"poſſemus? niſi quòd voluerit
"Deus vt ex ijs, qnæ ipſe for-
"mârit homini ne muſcam
"quidem facere poſſe conce-
"deretur.

"Deinde teſtantur ijdem
"Sacri Codices, *Solomonem*, vti
"ditiſſimum, ita Regum om-
"nium ſapientiſſimum fuiſſe.
"Quàm immenſâ autem auri
"vi indigebat ille ad ſanctum
"Dei Templum, idq; ex ma-
"dato Dei extruendum? Quod
"tamen quanto cum labore,
"quot annorum expectatione,
"& quàm longè petitum &
"tranſvectum acceperit, Sacræ
"Literæ loquuntur. At cur
"non ipſe potiùs feciſſet, ſi fieri
"potuiſſet aurum? Num impe-
"ritus erat: quem Deus teſta-

tur

"tur omnium sapientissimum,
"& novisse omnia ab infima
"planta ad Cedrum in Libano?
"Illud ergo diuinâ authorita-
"te non constat.

"At neq; humana ratione
"constat. Nam primò cum
"aiunt mutari posse vt cibum
"in alimentum, sic metalla vi-
"liora in aurum, nihil habet
"simile. In cibo enim exco-
"quendo cibus vt patiens est,
"homo autem per vim natura-
"lem dicitur agere: at in hac
"transmutatione aliter habet,
"in qua secundum ipsos, au-
"rum patiens est, alia vero me-
"talla agentia.

"Secundò, non potest ali-
"quid crescere aut multiplica-
"ri nisi per seminalem virtu-
"tem iniectam in locum à na-
"tura, fouendi causâ destina-
"tum, tanquam in propriam
"matricem: propria autem au-

"ri matrix est terra; ergo ex-
"tra terram nequit fieri aurū,
"magis quam homo posſit fi-
"ne muliere generari, aut quod-
"libet aliud animal perfectum
"sine fœmina.

"Tertiò, omne naturaliter
"genitum habeat necesse à
"Deo tempus præscriptum ad
"maturitatem: (vt mulier spa-
"tium aliquod mensium ad
"vterum ferendum) at isti pro-
"fitentur aurum in instanti fie-
"ri: ergo naturali rationi non
"innititur.

"Deniq; nec experientiâ:
"vtcunq; Regum, aliorumq;
"nomina recenseri soleant eo-
"rum, qui id aggressi, se tandem
"deceptos senserunt. At quis
"vnquam hanc artem, eâdem
"dives factus, laudavit? Eius-
"modi ego noui neminem; at
qui inde pauperes sunt facti,
constat esse permultos; quod

planè

planè auri naturę contrarium est: ideoq; consultiùs faciunt, qui ab illiberali hac arte malunt tẽpestiuè abstinere, quàm serò pœnitere. Istam Regis *Platonici*, aut *Platonis* potiùs Regij Theologico-philosophicam orationem, quàm arrectis auribus imbiberimus, non sum exprimendo satis, quantiscunq; phaleris, verborumq; lenocinijs indulgerem. Vidimus, & audiuimus in *Iacobo* pluſquàm *Traianum*, in nobis vidit *Iacobus*, gaudio quidem, (etsi alias dissimiles) pluſquam *Plinios*; quóſq; tum vidisti (*Iacobe Cæsar*) exultatione extra ſe raptos, eoldem gaudia ſua *Pliniano* Eulogio ruminantes, bonus ò felixq; audias. Testis enim ipſe es, quæ tum in omnium ore lætitiâ, *inde resultantia vocibus tecta, nihilq; tantis clamoribus satis clausum: quis tunc non è vestigio suo exiluit? Quis exiluisse sensit? multa fecimus sponte, plura instinctu quodam & imperio. Nam gaudio quoq; vis cogendi inest. Num ergo modum ei tua saltem modestia imposuit? Nam quantò magis à te reprimebatur, exarsimus; non contumaciâ,* (Iacobe Cæsar) *sed vt in tua potestate est, an gaudeamus, ita in quantum, nec in nostra.*

Nam quum merita *Traiani* fiant tua, cur non *Plinij* saltem gaudia, vnà & encomia fierent nostra; Nec tantum nostra istis enim in gaudijs suæ etiam partes fuêre *Annæ* Reginæ, fœminarum optimæ, tantâ consortis sui gloriâ modestissimè superbienti,

m *Indum sanguineo veluti violaverit ostro*
Si quis ebur, vel mista rubent vbi Lilia multâ,
Alba rosâ.

Henrico etiam, Principi juventutis; qui (n *Nomine auum referens animo, ingenioq; parentum*)

sacro pij parentis lateri adhærens, haurientibus oculis futuræ suæ imitationis in Patre exemplum præoccupabat; discebatq; cum erudita turba ijs Parentis virtutibus applaudere, quibus ipse apud eruditos applausum demereri studet.

o *Tu facito mox cùm matura adoleverit ætas,*
Sis memor, & te animo repetentem exempla tuorum,
Et pater Æneas, & p avunculus excitet Hector.

Quos dum virentior Nobilitatis flos exultantibus istis gaudij indicijs concomitatur, Senatorum ætate maturiorum humescentes oculi applausum suorum

m *Virg. Aeneid lib. 12.*

n *Virg. Eod. l. de Eumede.*

Avus enim Henrici Principis *erat* Henricus *Scotiæ Rex.*

o *Idem l. 12. p. Is est* Christianus *præsens Rex Daniæ,* Reginę Annę *frater Hector vere bellicosus, qui pio amore, famaq;* Iacobi *excitatus, classe Britanniam appulit, anno superiori; quo Rege, nemo huc vnquam Hospes optatior accessit.*

suorum fidem lacrymarum veritate comprobârunt.

Inter ista ovandi, disceptandiq; molimina, Procuratoribus Academiæ indicatur, à Rege jam statim expectari alteras in Philosophiâ Morum disputationes, quas, quia dies jam inclinârat, in posteram auroram dilatum iri sperabatur; qui, accepto nuncio, omnia accelerabant; màxq; ipsis monentibus, eruditissimus Moderator, *Rogerius Porter è Collegio Æneï Nasi*, politissimâ oratione, multâq; cum claudebat omnia. Ita Philosophiæ *Naturæ*, succedit sororia Philosophia Politiæ; cui procedit patrocinaturus, qui id optime, & potuit, & præstitit, *Magister Gulielmus Ballow* ex *Æde Christi*, homo si quis alius, politissimæ literaturæ, suavissimiq; ingenij; cui compares ascendunt adversantia subsellia selecti Philosophi, *Magister Iohannes Barcham è Collegio Corporis Christi*, *Magister Langton è Collegio Magdalenensi*, *Magister King è Collegio Mertonensi*, *Magister Winnisse è Collegio Exoniensi*, *Magister Lucks*, & *Magister Thornton ex Æde Christi*, qui sub præsidio eximij viri *Magistri Richardi Fitz Herbert*, Almæ Academiæ clarissimi Procuratoris, strenuè v-

trinq;, felici terq; ventilârunt binas ipsis à Rege commendatas Theses. Primam.

Maius esse imperij fines tueri, quàm amplificare.

Queris Alexander mundo an sufficis vni?
An facile imperium hic vnicus orbis habet?
En furtal en cædes, mistosq; rebellibus hostes!
An facile imperium hic vnicus orbis habet?
Desine phæa tibi proponere, parta tucre.
Non facile imperium hic vnicus orbis habet.

Secundam.

Iustum, & iniustum non constare solâ lege, sed etiam naturâ.

Est modus in rebus, non vocibus, (Albee) peccas.
Dum rectum in solis legibus esse putas.
Id rectum est rectæ rationis, opinio non est;
Sceptice naturam consule, Scepsis eat.
Si, nisi quæ fuerint positæ dictamina legis
Nulla forent recti; non ita multa forent.

Quæ omnia dum doctissimus Respondens omni historiarum rerumq; vndecunq; conquisito flore pingeret poliretq;, dumq; adversi pugiles eadem

dem telorum varietate, ingenierũq; acumine, quo ab alreto excipiuntur, confidenter irruunt, Rex ita & intentis oculis, & attentis auribus omnia hauriebat, singulorumq; argumentis præsentissima accuratissimaq; responsa accommodabat, vt hoc ipso, nõ facilitatis modò suæ (quæ plurima est erga eruditos) sed sui etiã de eruditis judicij illustria exhibuerit specimina. Facilitatis quidẽ suæ, quòd qui ipso optima nobisq; salutari experientiâ conciperet solus, quantum esset, aut imperia amplificare, aut tueri, (quorum vtrũmq; felicissimè præstitit, & ô diu, diùq; præstet!) hominum tamen in vmbra Academica delitescentium judicia de rebus Regijs planéq; maximis exquirere, eorũmq; dogmata, rationumq; momenta patienter (patienter? anguste loquor) summa cum voluptate, summa cum approbatione, gratè, gratioseque imbibere & amplecti dignatus fuerit. Iudicij verò, quòd abhorrens à temerario p Ducis malè rigidi ingenio, imperitè censentis Oratorem in pacis artib⁹ senescentem, de bello peritè dicere non potuisse, censuerit potiùs politicorum, eorumq; qui in negotiorum tumultu versãtur, facta omnia ad tranquilla

p *Hannibalis Phormionẽ irridentis.*

quilla Philosophiæ theoremata exâminari debere, quàm diumas humanòq; generi salutares Philosophorum vigilias, à polypragmaticorum somnolento supercilio vilipendi, atq; despui. Et quod adhuc illustriùs Clementiam Regiam studiumq; erga literatos singulare demonstrat, quum jam advesperascerat, & Academiæ Procuratores ex eorum acceleratione animadverterent solicitos, ne nimiâ totius diei nunc etiam & noctis molestiâ, Regiâ abuterentur patientiâ, eos lenissimis verbis iterum atq; iterum securos esse iussit, nec pro ipsius tœdio, sed pro suo arbitrio & pergere, & consistere. Eorum etiam aliquibus, quibus procuratorum festinatio, & authoritas vocem præciderat, Regia patientia, & authoritas revocavit. Ita finem sermoni suus cuiq; pudor, non tua (*Iacobe*) superbia fecit.

At diuini sermonis tum tui, quem aut laudandi finem aut initium exprimendi reperiam? Mirum esse dicerem (si quid in te mirum esse posset) nihil à quoquam produci potuisse, atq; vrgeri, etiamsi summam ex longa meditatione subtilitatem adeptum, cui tu subitaneo responso non æquè satisfeceris, ac si longè anteà cogitationum

nostra

nostrarum penetralia perspexisses. Mirum esse dicerem, nihil esse in universis divini *Aristotelis*, Principumq; Philosophorum scriptis ita arduum, atq; reconditum, cujus omnes obscuritates, quotquot tùm aut causæ natura, aut disputantium acumen objectavit, divini ingenij tui luce non illustraveris: omneſq; scrupulos amoveris, ac si non tantum sacris eorum vigilijs totam ætatem impendisses, sed Pythagorica etiam μετεμψύχωσις eorum animas, sensusq; omnes in Augustum pectus tuum transtulisses. Quibus ingenij tui virtutibus hanc etiam pietatis (tanquam comitem, aut ducem potiùs) annectere solenne habes; dum ita omnia Philosophiæ placita ad rationis limam trahis, vt rationem etiam ipsam Sacrâ Templi Staterâ, hoc est divino verbo approbandam esse censeas, aut alioquin respuendam. Hæc enim omnia nobis præstitisse visus es, quum in Justitiæ "norma disquirenda, fontem "quidem ipsum in Deo, uni- "verſi illo æqui boniq; fonte, "indigitandum præmoneres: "In rebus autem ipsis, aut ho-

"minibus eatenùs quicquam
"esse justum, quà cum divinæ
"voluptatis, Iustitiæq; ideâ
"conforme sit. Illius enim fon-
"tis guttulas, & quasi genui-
"nas notitias inditas esse etiam
"hominum improbissimorum
"mentibus, etiamsi alio naturę
"vitio tenues isti igniculi op-
"primantur. Inde quidem fi-
"eri, vt ab *Aristotele* in Poli-
"ticis latrocinium, etiam quo
"victus quæritur, numeretur
"inter ea quæ naturâ duce fi-
"unt: sed aliud naturale esse ex
"affectu sensuum, aliud ex le-
"ge rationis; affectus incita-
"menta plerunq; esse naturæ
"vitia, rationem autem, (nisi
"depravatam) vitia naturæ
"corrige, re taliq; ratione la-
"trocinium injustum judicari.

Annon & illue spectabat memorabilis hac in re conciliatio, & *Theologica* veritatis cum Philosophica, & *Aristotelis* secum ipso, qui totam hanc naturalis

turalis notitiæ doctrinam visus est demoliri, quum animæ primò infusæ omnes prorsus rerum notitias abnegaret, & tanquam abrasam tabulam, nudamq; proponeret? Sed quum tu ingenij tui omnia penetrantia cuspide
" inter notitias rerum, & rerum
" species *discrevisses, & ostendisses* Notitias has æqui, bo-
" niq; judicandi, nobis à Deo
" naturaliter inditas, tanquam
" lucem, quâ videmus, non tan
" quam species, quas videmus;
Quis non statim (te docente)
" agnovit, e *Aristotelem*, & spe-
" ciebus animam nudasse potu-
" isse, & genuinis tamen notiti-
" js vestire? Quid autem aut subti-
lius, aut sanctius, quàm quum Iustũ
" ex præcepto Dei, & iustum
" ex præscripto naturæ, etiam
" tum, quum maximè pugnare
" videbantur, fœdere reconci-
" liasti? Ita enim in *Abraha-*
" *mo*, filium *Isaacum* oblaturo,
" pugnâsse præceptum naturę,

quæ

" quæ prohibeat patrem inter-
" imere filium, cum præcepto
" Dei, qui jubebat; vtrunq; ta-
" men præceptum justum: Nec
" enim Abrahamum obtulisse,
" quâ pater erat crudelis filio;
" sed quâ servus erat fidelis
" Deo; Deum autem esse supra
" naturam, ideoq, præceptum
" naturæ cedere oportere præ-
" cepto Dei, idq, naturam ip-
" sam præcipere, vt Deo natu-
" ræ pareamus. Neque tamen
" voluisse Deum, filij sanguine
" paternas manus maculari, sed
" (in probationem tantùm a-
" moris sui) experiri, an in om-
nibus, vt oporteat, Deo ob-
temperare vellet. Verùm vt a-
mantibus discedentibus, ea verba,
quæ sunt novissima, hærent in ani-
mo diutissimè, sæpissiméq; revolvã-
tur: ita, si quid vnquam divinissimo-
rum sermonum tuorum nobis ex a-
nimis elabatur (quod nunquam futu-
rum audeo vaticinari) illud tamen e-

labetur

labetur certè nunquam, quod aut ex instituto tuo, aut ita potiùs linguam dirigente Deo (qui tibi semper in pectore vicinus) ad extremam catastrophen (tanquam post convivium placentam) distuliſti, & pientiſſimarum virtutum tuarum, etiam noſtrarum expectationum, quaſi Epitomen, æternâ memoriâ retinendam reliquiſti. Iſtiuſmodi enim nobis viſum eſt, quum de acquirendis tuendiſq; imperijs ita definires, ſive pace vivitur, ſive in bello, ſive Regna querimus, ſive parta tuemur, illud ſolum Regibus magnū gloriōſumq; ſolumq, Rege dignum haberi oportere, quod verâ cum virtute conjunctiſſimum ſit. Nec eo in genere quicquam anteponēdum eſſe piæ, tranquillæque Rerumpublicarum, & bonorum civium tutelæ, quâ fiet, vt non Reſpublica modò civibus, ſed cives etiam virtute probitatéq, floreant, glorioſam tamen eſſe Regnorum etiam

"etiam acquisitionem, modò
"justam; injustam enim non
"Regum esse, sed latronum,
"eò quòd, vt omnibus, ita Re-
"gibus imprimis scala virtutis
"proposita sit, quâ solâ ad glo-
"riam ascendant. Tibiq, id-
"circò sive in acquirendis, sive
"tuendis imperijs tuis, id vnicè
"placere, (quod, Magni Regis
"*Persarum* audito nomine, v-
"surpavit *Agesilaus*) idq, te,
"de te semper vsurpare velle,
"*Nemo me maior, nisi qui iu-*
"*stior.*

Hæc tua tum (*Iacobe* Maxime, Iustissimeq;) vox novissima, quâ non tàm indicasti, quid omnes de te posteà expectarent, quàm quod anteà vniversi sint experti. At cur ita parcus es laudum tuarum enumerator, qui magnitudinem gloriæ tuæ, justitiæ tantùm tuæ magnitudine metiris? *Nisi te iustior?* ar talis nuspiam; potuisses addere, nisi te doctior, & talis nuspiam; nisi te sanctior, nisi te clementior, nisi te prudentior, & talis, certè

talis

talis, nuspiam. Harum enim, aliarúq; virtutum Regiarum omnium magnitudine, longo intervallo Reges omnes à tergo reliquisti, & quasi in virtutum summo monte collocatus,

Cernis anhelantem dura ad fastigia turbam.

Hîs ita, vti diximus, tranſactis, omnibus jam ſcientiarum regionibus à Rege, non perluſtratis modò, ſed ejus etiam ſplendore, & præſentiâ illuſtratis, quid aliud reſtaret, quàm vt omnium, quotquot ab initio in palæſtram coram tanto arbitro prodierant, Academicorum etiam reliquorum omnium nominibus, tàm immenſi amoris Regij agnitio, quam gratitudinis, & amoris ſui conteſtatio exhiberetur? Quod, vt publico omnium nomine, ita & à publica perſona (is erat, quem diximus, Academiæ Procurator ſenior) & publicâ omnium approbatione egregiè præſtitum: Non quòd cujuſquam (etſi diſertiſſimi oratoris) oratio potuiſſet eam gratiarum magnitudinem verbis complecti, quam Academici animis complexi ſunt, aut Regi eam laudum infinitatem linguâ renumerare, quam ille meritis eſt conſecutus: ſed quod illam in gaudijs Academiæ exprimen-

primendis quam *Timanthes* in luctibus *Agamemnonis* depingendis, laudem assequeretur, & eleganter explicaret, quam gratiæ gratitudinesq; florentissimæ Academiæ essent inexplicabiles. Qui quum publicæ gratitudinis, tunc exprimendæ, nunquam finiendæ, finem faceret, Clementissimus Rex, vt publico etiam testimonio indicaret (quod privatis colloquijs crebrò inculcaverat) quàm sibi omnia grata, accepta; fuerant, & quàm gratiosâ, honorificâq; æstimatione Academiam hanc verè suam complecteretur, vniversos incredibili attentione excitatos compellavit oratione piâ, benignâ, Regiâ; cui dum exundanti lætitiâ inhiamus, ejusdem materiæ vehementiùs intenti, formæ suavitatem penè totam amisimus, sensu tamen (quantum postea recordando potuimus recolligere) ferè hujusmodi.

"PRO conclusione literatissimi hujus exercitij, nõ "potestis à me comptam aliquam & politam orationem "expectare. Neque enim vnquam

"quam (ita me Deus amet) sa-
"tis mihi otij fuit cum viris
"doctis, & disertis colloquen-
"di; ideoq; nec disertus, nec li-
"teratus esse possum. Si ergò
"*Prisciano* vestro in his exer-
"citijs vim fortè aliquam, &
"injuriam intulerim, illud de-
"betis condonare mihi. Hoc
"tamen à me expectare, & per-
"suasum habere potestis, quòd
"vt literarum, atq; literatorum
"omnia semper anteà fuerim,
"ita & jam sim, semperq; futu-
"rus sim *Mecenas* amantissi-
"mus. Quod verò ad illustrē
"hanc, & egregiam Academi-
"am Oxoniensem attinet, hoc
"certo certiùs persuadere vo-
"bis potestis, quòd ei semper
"sim futurus propitius. Vos
"verò purum Dei verbum, vt
"est apud vos prædicatum, de-
"betis retinere: Romanis su-
"perstitiones omnes fugere, &

fugare

"fugare; ſchiſmata autem, &
"novellas opiniones renuere,
"reſpuere, & averſari. In arti-
"bus autem veſtris, & diſcipli-
"nis (vt heri vnus ex ornatis
"veſtris Theologis dixit) non
"oportet vos gradum ſiſtere,
"ſed progreſſus ſemper facere,
"& praxin cum Theorica con-
"jungere, vt vita veſtra cum
"profeſſione veſtra ſemper ma-
"neat conciliata. Sic & Dei
"gloriam, & expectationem
"meam implebitis, meq; Re-
"gem veſtrum honore reple-
"bitis, & gaudio, & vobis ipſis
"fructum vberem facietis, &
"locupletem.

Inde omnes, animis mirifico gaudij impetu concuſſis, longo acclamationum tractu comitantur Principes accenſis funalibus (nam nox ſatis proceſſerat) diſcedentes, Aulamq; Regiam repetentes. Vnde mox *Henricus* Princeps à ſuo Nobilium comitatu deducitur ad *Collegium Magdalenenſe*, vbi in Aula Collegij publica à *Magdalenen-*

dalenensibus invitatus cœnare decreverat. Supremæ mensæ medium solus ipse occupabat, vnde, quasi, de loco superiori, prospicere posset in ceteros omnes, qui simul ibi cœnabant: quorum ordines ita distributi sunt, vt Aulâ mediâ Comites atq; Nobiles Aulici discumberent; ad vtraq; autem Aulæ latera, ejusdem Collegij Socij omnes atq; studiosi, qui ita tum frequentes aderant suoq; graduum habitu decenter ornati, vt Princeps eorum multitudine, & ordine plurimùm delectaretur, eosq; omnes pileis (quos gestabant) quadratis discumbere opertos benignè jusserit. Et ne quod eis incomparabilis humanitatis suæ indicium deesset, scyphum vino spumantem generoso arripiens, vnaque studiosos alta voce compellans, eorum omnium saluti propinavit, statimq; omnes in pedes erecti consistunt, donec per totum Aulæ circuitum, suavissimi Principis saluti respaderetur. Nec illud porrò obscurum eximiæ benignitatis argumentum, quòd frequenti sermone consueverit quasi jure peculiari *Collegium* illud suum nuncupare, seq; *Magdalenensium* libenter nominare, ejusq; se tanquam acceptissimi Hospitij sui curam perpetuo

petuò summam habiturum pollicitus fuerit. Qui vicissim ne quod amantissimi Principis demerendi officium prætermitterent, sedulò curabant, & publici, privatiq; amoris, quoties se daret opportunitas, exhibebant indicia. *Pandulphi Colinucii Apologos*, librū manuscriptum auro, & margaritis affabrè contectum, jubente Collegij Præside, tradidit lectissimus genere, virtute, literis, adolescens *Gulielmus Grains, Arthuri de Wilton Baronis* filius, natu minor, alit num donum Principi commendans illustri oratione sua, vti etiam *Edvardus Chalonerus* virtutis Paternæ hæres, qui duo insignium, auróq; fulgentium chirothecarum paria, pro vniversi Collegij voto, & *Richardus Worsleus* adolescens illustris, libellum exoticarum linguarum versibus eleganter exaratam dono dedit: vt istiusmodi etiam munusculis levioribus, benevolentiæ magnitudo æquè facilè conspici potuerit, ac cœli amplitudo fenestra, etsi parva.

Sed à cœna, ad scenam properandum est; qua loco sueto, Principibus à *Iohannensibus* reptæsentatur ANNVS RECVRRENS; fabula, socco Comico sed pede Tragico, Tragicis enim senarijs ad novitatem scripta. Scena

in

in formam Zodiaci exactissimè effi-
cta, & Sole omnia Dodecatemorij
signa splendido artificio pertranseun-
te. Cujus decursu quatuor anni tem-
pestates, quatuor ætatis humanæ
progressus, quatuor humorum corpo-
ris varietates, & si quæ vspiam sint
varietates aliæ, aut fortunarum, aut
ingeniorum, aut amorum, aut ludo-
rum, omnes delectabili harmonia in
theatrum productæ, & in *Microcosmo*
repræsentatæ, adolescente primùm
Academico, aliarum deinde omnium
conditionum varietatem experiente.
Sed quid ego ista? quum ipsa jam è
prælo emerserit festivissima Comœ-
dia. Incepta est, Sole Arietem ingre-
diente, finita, quum Pisces Solis igne
coquerentur. Digna quidem quæ
toto vertente anno duraret; sed ideo
Zodiacum suum festinantiùs Sol visus
est transisse, vt Principibus multo
istius diei tædio lassis, quiescendi oti-
um concederetur.

ACTA

ACTA QVARTÆ DIEI.

POstero illucescenti die, Regi optimo exhibitos ab Academicis suis ingeniorum fructus benignissimè recordanti, gestit animus & aluearia contemplati, in quibus apes tam sedulò considerent, & viridaria, è quibus mella tam jucunda legerent. Collegia (inquam) & Bibliothecas, quibus vtrisque tàm numero quàm splendore, vel invidia judice, omnes vbivis gentium Academias, *Oxoniensis* longissimè antecellit. Quæ singulæ, & si oculos intuentium, & animos illucubrantium mirificè oblectent, BODLÆANA tamen, quam cum primis invisere Regi

gi placuit, singulorum & delicias, & vtilitates in se omnes, ad commune omnium emolumentum derivâsse videtur. Ex quâ quota, quantaquecunque gloriæ scientiæq; beneficia in Academiam redundant, THOMÆ BODLÆO viro Equestris splendoris, sed Regiæ magnificentiæ, literatorum amantissimo, amatissimóque Mæcenati, vniversa debentur. Nam quo olim augusto loco, nobilissimam illam à *Duce* vere magno *Humfredo*, *Beufortio*, *Kempiis*, excitatam audijsset Bibliothecam, ibi cum miserando spectaculo, nihil videret præter araneosos tanti monumenti testes, parietes situ sordibusq; squalentes, libuit Heroi, privato census dispendio, resarcire damnum publicum, suâq; immensa munificentiâ, infamem eorum memoriam sepelire, qui privatâ, aut rabie, aut rapacitate, rei literarum publicæ tam preciosam suppellectilem subduxerant. Nec ita modò beneficus, sed providus etiam, ne ista sua, consimili vnquam calamitate (quod scelus absit) concuteretur, reditus & opimos, & Regio diplomate in omne ævum constabilitos comparavit, quibus & custodum perpetua vigilantia (sex enim diei horis inter-

sunt

sunt, huumq, ingressum exitumq, eam panæ sonitu significantes) copiosè remuneretur, & omni temporum iniuriæ occurratur. Sed non est mihi mei tanta fiducia, vt te (BODLÆE) sperem calamo victurum meo. Vives tu satis virtutibus tuis, atq, literatorum gratitudine, quos virtutibus tuis æternum devinxisti,

[a] *Sic dictum a* Gualtherus de Merton *qui* Episcopus Roffensis, Henrico *tertio a consiliis, & summus Regni Cancellarius, Collegium istud, si seculi rationem spectes, omnium præclarissimum, felicissimis auspicijs pietati & literis consecravit, Anno* 1264.

Nomenq, tuum laudesq, manebunt,

quam diu *Oxonia* nomen, laudesq; manebunt. Satis mihi sit meo [a] *Mertonensium Collegio* gratulari, cuius per te antiqua gloria reviteſcit; quod cum seculis retroactis magnis doctissimorum nominib[b] floreret *Bacono, Burlæo, Occhamo, Scoto, Bradwardino, Gatisdeno, Dunbletono, Elemus, omnium præclarissimum, felicissimis auspicijs pietati & literis consecravit, Anno* 1264. *Nicolao Gorrham, Suitzeto*

[b] *Quibus (nisi quod nollem in nominibus recensendis ambitiosus videri) præter Episcoporum infinitam multitudinem, Archiepiscopos Cant. sex proximis pene intervallis ex hac domo, sibi invicem in sede illa Metropolitica succedentes, adjecere potuissem, Cardinalium etiam aliquot speciosa nomina illud autem in gratiam, pontificiorum non possum non adjecere, huius Collegij socium & Alumnum fuisse* Gulielmum Gryfant, *Medicinæ gloria celebratissimum qui pater fuit* Grimoaldi Gryfant *Papæ, cui ostea nomen* Vrbanus quintus: *Ex Regiſtro Collegij Mertonensis.*

quanta

(quanta illi omnes Europæ lumina?) noſtro ſeculo vnà cum *Henrico Savilio*, iſtorum cuivis æquiparando, te produxerit; qui & eiuſmodi doctrinæ eruditiſſimus es hæres, & eiuſmodi doctorum futurus es feliciſſimus parens. Situm quidem eſt illud BODLÆI Minerval loco ad lucubrandi ſeceſſum peridoneo; remotum enim à ciuium ſtrepitu, & ſequeſtrium parietum interjectu, & Collegiorum, Scholarumq; artium Publicarum adiectu. Inter quæ tamen omnia tam ſuperbâ magnificentiâ altitudinéq; Pyramidum eminet, vt & procul compareat, & Bibliothecam ingreſſis, modò in Ciuitatem vniuerſam Collegiaq; circumquaq; conſpicua, ſed in adjacentis etiam regionis planitiem & irrigua prata exhibeat pulcherrimum deſpectum. Cui illic oculorum oblectationi acceſſio ſit non mediocris, ex perjucunda illa accuratiſſimi herbarij atq; horti (quæ parieti Auſtrali adjacent) vicinitate, *Collegiúmq;* etiam [c] *Exoniensis*, quod occidentali

[c] *Ita nominatum quod* Gualterum Stapletonum Epiſcopum Exonienſem *habuit fundatorem; qui* Aulam etiam Cervinam *fundauit. Erat is Henrico 8. a conſiliis & ſummis regni Theſaurarius, tempore, turbulentiſſimo maximæ Regni negotia Legationeſq; prudentiſſime fideliſſimeq; obiuit, quumq; Rex ei Caſtellum Ciuitatis* London *tradidiſſet, quam regina exercitu tam hoſtili appetebat, Seditioſi Ciues tumultu ſuſcitato, eum vna cum fratre, Nobiliſſimo Equite capite detruncato, trucidarunt anno 1326.*

adhęret lateri. Cuius Collegij Fundatoris, aliorumq; Patronorum insignia, ita elaborata ibi describuntur arcolis herbarum, vt illustrium Mecænatum, (Domini inprimis *Peeters*, Baronis de *Writtel* doctissimi Nobilissimiq; Heroïs, cui, tanquam secundo Fundatori debere se gratissimi *Exonienses* profitentur) virentem semper cernas gratam memoriam, atq; honorem,

Crescent herbæ crescetis honores.

Illuc cum ascendisset verus literarum cultor *Iacobus*, & admirabilem tot millium librorum multitudinem, tot turgentium receptaculorum speciosos ordines, tantum concamerationis ex auro insigniumq; conchylijs splendorem deambulando perlustraret, mirari quidem primò, hominem tam sumptuosè φιλόβιβλον, sed quum libris, quibus libuit, aliquandiu inhæsisset, manuscriptorum antiquitates quantiuis pretij, exquisitissima Mathematicorum instrumenta, pre-

c *Titulus Philobibli olim dabatur eruditissimo Ricardo Angervilio Episcopo Dunelmensi, qui hic Oxoniæ circa annum 1340. Bibliothecam præstantem extruxit in publicum studiosorum vsum eumq; etiam in finem librum scripsit* Philobiblon *inscriptum quem eccæ nocte, qua sepultus latuit, in communem studiosorum vsum eripuit* Thomas Iamesius *an. 1599. Cuius Episcopi immortales laudes consimili librorum amore cum* Bodlæus *superarit, eum titulo* Philobibli *adequet nemo istius quam Bodlæus*

cio-

ciosissima omnium nationum, & linguarum monumenta, incredibili, & sumptu, & labore etiam à remotissimis mundi partibus conquisita pervolvisset, tum demum tanti Literarum Thesauri magnitudinem æstimare, & Academiæ felicitatem, simul & *Bodlei* pietatem prædicare. Atq; equidem (*inquit*) à quo Academiâ hanc invisi, sedulò perpendi eximios ingeniorum fructus, quibus me Academici toties donârunt, sed ante hunc diem hortum non vidi, in quo crescerent, & vnde legerentur. Effectus huc vsq; vidi, causam iam video, & videndo lætor. Dúmq; intentos oculos conijcit in *Bodlei* statuam (quam ex alabastro dedolatâ & inductis coloribus vividè repræsentantẽ illustrissimus Cancellarius benè merito amoris ergò posuerat) suavissima allusione ad pientissimum hoc *Bodlei* op° (lingua, n. Patriæ primæ tantum literæ discrimen est, inter *Bodlei* nomen, & *Pii*) Thomæ Godly nomine insigniuit, eoq; potiùs nomine, quam Bodly deinceps meritò nominandum esse censuit

fuit. Moxq; vetuſtiſſimas Sacrorum Codicum tranſlationes manuſcriptas, quæ ibi plurimæ, pulcherrimæq; (etiam eæ, quas ſeculis antiquis Patrio Idiomate vſurpamus) ſtudioſe verſat. Exemplaria imprimis Æthiopica, quorum de fide, ac authoritate, aut ſtabilienda, aut minuenda more ſuo t ſummo cum judicio diſceptavit. Vnicam illius de *Gaguino* præ cæteris cenſuram verè ſacram prætereire mihi religio eſt: cuius cum poſteà libellum titulo invitatus percontaſſet, & controverſiam Theologicam (ſi modo controverſiam) poeticâ, non levitate modò, ſed obſcœnitate etiam dehoneſtatam obſervaſſet,

"Equidem (inquit Dynaſtis aſtantibus) non miror hoc genus "hominum, contro verſias ejuſmodi in Theologia cóminiſci audere, quum auſint etiam tam impudicè, profanéq; eas pertractare. Iſtum enim "authorem ita de Puritate "ſcripſiſſe, quaſi eam in titulo "tantum libri reperiri voluerit. "Quam ſcribentium laſciviam

ita

t *Gaguinus de puritate conceptionis impreſſ. Pariſiis an* 1497.

u *Nam etiam Pontificii ii præſtantiores nobiſcum ſentiunt D. virginem in peccato conceptam, ideoq; & Chriſtum Seruatorem ſuum agnouiſſe; & communem fuiſſe Eccleſiæ ſententiã oſtendunt ipſi Pontificii libello ea de re ſcripto,*

" ita se habere odio indicauit,
" vt etiam in animo secum sæ-
" pius statuerit consultius esse
" futurum studiosis; vt omnes
" huiusmodi impudici (in rebus
" præsertim sacris) scriptores
" prorsus tollerentur, quàm vt
" ad ingeniorum, morum, reli-
" gionisq; corruptelam tolera-
" rentur. Verùm non incom-
" modum forsan esse, dum in
" istiusmodi Biblophylaceis cõ-
" seruentur, vbi & librorum
" improbitas difficulter nocere,
" & authorum improbitas fa-
" cillimè deprehendi detegiq;
" posset. Censuram (inquam) verè
sacrã, & ab eo pectore prolatam, quod quum ipsum Pudicitiæ (rarę in Aulis Principum virtutis) laude plurimum celebretur, alios etiam ad omnem puritatis æmulationem exemplo suo accendere pervellet. *Gagutium* verò quis non Veneris sacra potiùs concinere putaret, quam Divæ Virginis Genethliacon? Cuius ideo
x ersus hîc producendos non censerem

x *Qualia hęc* Cur negat alma fides sudoris more liquari Semina posse viri dum pia vota gerit? Atq; equidem credo (salua pietate) Mariam, Pruritu nullo germinis esse satam. Si potis est iactum stertenti obducere semen Incubus &c. Nec stat pollutus Oseas, castus in assumpta dum meretrice coit. & similia.

rem, nisi eo fortè animo, quo *Spartani* seruos fœdè temulentos liberis suis conspiciendos producebant, vt rei fœditate commoti, ab eadem discerent abhorrere. Quod eò magis castissimum Regis, & Poetæ etiam Regij animum offendere merito potuit, quum eundem poetam cerneret, huic de Purissimæ Virginis puritate poemati, impurissimum lasciuæ amiculæ suæ encomium subiungere, quæ etiam se Divæ Virginis loco colere (os impudens *l*) deprædicat. Epigramma enim sic exorsus,

Cum facturus iter Vernonem intraveris Hospes,
Aspice quâ pendet y Diva Maria domo:

quum mox Hospitæ illic, & z mores, & *a* membra sigillatim depingeret (carmine lasciviori, quàm quo chartam hanc polluere ausim) profano disticho concludit tandem,

Si me non alio curarum tuba vocâsset,
Contemplarer adhuc sedulus ora Deæ.

Quod quid quæso aliud est (nisi quòd multo pejus sit) quàm cùm *Praxitile, Deam Cyprian* ad *Phrynes* Amasiæ suæ similitudinem pingere? Verùm quid opus est cum Praxitele illo componere? Quum etiam passim *b* Italici

Praxitiles

y *Illud erat insigne diversorij.*

z Rilus, verba, iocos, fulcra, cubile, mensa &c

a Albentes coxas, inguina, crura, nates, & Veneris.

sed pudet Peregere.

b Vir testatus D. Edwin Sandys *libro inscript.* A relation of the Religion in the West parts of the world: and Henricus Stephanus *lib. 2. Apol.*

Praxiteles, Sanctissimæ Mariæ vultum exprimere volentes, Meretricum publicarum pulcherrimas convocare iussit, vt ad æstuantis libidinis flagrantiam purissimæ virginis imaginē repræsentent. Sed solenne est Pontificijs *Gaguinos* agere, de puritate Diuæ Mariæ cōtendere, de sua securos esse; & post encomia (quasi sub Insigni) Sacræ virginis, lascivas Hospitas, & scortilla, solitæ Hyperdulię suæ cultu amplecti: sic ille nobilis Cardinalis *c Iohannes Cremensis*, qui post multas horas, pro puritate sacerdotij contra legitimas nuptias acriter collocatas, noctu sequenti, cum Meretricula palàm deprehenditur. *d Iouinianus* Imperator, quum Magicos in celebri *Antiochena Bibliotheca* libros deprehenderet, Reiq; publicæ perniciosos, ipsam Bibliothecam maluit funditùs abolere, quàm de librorum pernicie amovendâ providere. Temerarium exemplum! idq; propter Græcorum Philosophorum odium & scurriles jocos pertulit. Sed & sapientiùs & Sanctiùs *Iacobus Cæsar*, qui ebrietatem excindi maluit, quàm vitem; & librorum istiusmodi venena præcaveri, sed Pharmacopœias & conservari, & ornari. Idcircò quum vnà mente revolueret,

c Mat. Paris Hist. Ang. p. 67. & Fox. Martyrolog.

d Nicephor. l. 10.

quàm esset hic locus opportunus omnium antiquitatum fidei, veritatiq; conservandæ, quam recentium temporum sacrilega rabies (vt mundo jam constat) conspicuis *c Indicibus expurgando* conspurcavit, stamit æternã amoris sui tesseram in Academicos, in literas, in veritatem ipsam, hîc, tanquam ad sacram fidei aram, consecrare.

c Indices Expurgatorii indicia impudentium Falsariorum, qui cum veritatem non ferunt, eiusdem Testes sacrilege corrumpunt, quid verò mirum, ſi, qui Scripturas Dei ſubtrahunt, Scripturis hominum ſubtrahant.

Nullum ferè est ex omnibus Regis palatijs, quod non Bibliothecas habeat preciosis literatæ antiquitatis reliquijs (quantuscúnq; Regibus antecessoribus contrahere licuit) ditissimas. Harum omnium copiam *Bodlæus* regificè pollicetur, eas excutere jubet, & scrutari, quicquid ibi sit canicie venerandum, scriptorum fide operabile, rei pretio, hominumq; æstimatione rarũ, & singulare (quid autem ibi non ejusmodi?) asportare, inq; hoc mirabile Musarum Gazophylacium properè liberéq; traducere; & ne quid impediat institutum, Regiam hanc donationẽ Regio sigillo firmatam accipere. Ita qui anteà studiorum otium à Regis imperio, nuper ab ejus præsentia studiorum solatium habuimus; deinceps (quod ad pedes Regios demississimè devoluti gratissimè prædicamus) ex immor-

immortali ejus beneficio, ſtudiorum & adjumentum, & incrementum percepturi ſumus.

Nec veſtræ interim obliviſcemur beneficentiæ, *Carole Howarde*, ſpectatiſſimæ virtutis *Thalaſſiarcha*, tũq; *Roberte Cecili*, alterum jam, poſt *Gulielmum* deſideratiſſimum Patrem, veræ Politiæ columen; qui tum præſentes benevolentiſſimis vocibus, & poſteà opere honorifico, Regiæ munificentiæ promptitudiné promoviſtis. Nec valdè tamẽ miramur, quòd ita in nos alieno amori non defuerunt illuſtriſſimi Proceres, qui ſuis etiam magnificis muneribus hanc eandem Bibliothecam auxerunt. Quod & reliqui fecerunt ſplendidi Britanniæ Toparchæ, quorum (vti aliorum etiam omnium, quorum cũq; liberalitatem *Bodleiana* invitavit) & memoriam grata recordatione deoſculatur Academia, & nomina munerumq; amplitudinem *Bibliotheca* conſervat, æterna teſtificatione pulcherrimi pretioſiſſimiq; voluminis, quod aureis vmbilicis, bulliſq; fulgidum, vt omnibus ingredientibus apertam Academiæ, miniméq; diſſimulandam gratitudinem exponat, eminentiſſimo ſemper recũbit loco, quà ſupremã ſtructuræ fron-

rem lumen augustissimum illustrat.

Illud est insignium eius Epigraphe, & quamquam fortuito, cõmode tamen contigit, vt Bibliothecæ huius primus aditus, quatuor Coronatorum die pateret. nẽpe 6. Idus Nov. qui dies sacer est Severo, Seueriano, Carpophoro & Victorino fratribus Martyrium sub Diocletiano persessis; quorũ nomina quia diu non potuissent reperiri Quatuor Coronati vocati sunt.

Illuc enim à foribus longo, spatioso; deambulacri tractu, rectâ ascenditur, medioq; tramite, inter numerosas lęvas, dextraq; receptaculorum series, quarum singulæ ita singulis fenestris ornantur, vt grandem studiosorum multitudinem admittant, non modò sine omni invicèm impedimento, sed etiam conspectu. Ijs autem monumẽtis, quæ ornatiorem custodiam desiderant, suæ sunt vtrinq; ædiculæ, cancellis partim auratis, partim cœruleis affabrè concinnatæ. Omnes etiam Facultatum, Artiumq; omnium ordines tam prudenter dispositi, aureisq; Inscriptionum characteribus spectabiliter distincti, vt vsui simul, & visui concinnissimè sit consultum.

Nec dignitatis minùs splendoriſve suprema laquearium fastigia venustat; vbi perpetuâ jucundâq; vicissitudine, insignia *Bodlei* pendulis ancyliis, Academiæ tessellis intersplendent. BODLÆVM, præter gentilitia symbola, decorant coronæ tres (QVARTA PERENNIS ERIT) quarum meritò gloriam ab Academia derivavit, cujus gloriam incredibiliter, adauxit. Nam & Academia totidem coronis aureis dignoscitur, quarum

quarum medio [d] Librum patentem, septem fibularum quasi septem Artium Liberalium ornamento decorum [e] DEVS ILLVMINATIO MEA, illustrat. Quo honorifico symbolo libri atq; coronarum, Academiam, quum eam restauraret, donâsse creditur [f] *Aluredus* doctus, qui ipse adhuc ex libris plus gloriæ retinet, qui ex corona sua. Nec ijs repugno tamen, qui putant *Librum* [g] *Apocalypticum* septem signaculis clausum (at clausum nota, cum hic noster apertus) designari. Similiterq; triplici coronâ trium Primariarum Facultatum *Theologiæ, Medicinæ, Iurisprudentiæ*, gloriam, quâ soli *Oxonienses* in Britannia floruerunt, etiam ad ea vsq; secula, quibus ex decreto generalis [h] Concilij, omnium Nationum consensu

d *Quæ sententiola libro inscribitur.*

e *Vnde videtur Paris. Academia typum mutuo accepisse quæ inter trialilia librum patentem gestat.*

f *Sed putem multo esse recentius hoc symbolum.*

g *Apoclaypsis cap. 5. v. 1.*

& clausum volumen non esse commodum symbolum Academiæ Doctrina celebris, sed alicuius potius aut recentis, aut nondum literarum gloria satis illustratæ; patefactio enim libri apud feciales arguit doctrinæ manifestationem. h *Vien: sub Clem. 5. Ideoq; ex omnibus horum regnorum partibus pensiones Professorum olim exigebant. Clement. c. de magistris. vnde & Cassaneus de gloria mundi,* Est (*inquit*) etiam studium generalem in Anglia Oxon. dictum: *nam aliud hic nunquam agnoverunt exteri.*

comprobari

comprobari, vnicum hoc *Angliæ, Scotiæ, Hiberniæq;* GENERALE STVDIVM agnoscebatur. Vtcunq; se res habet, antiquioribus seculis liquet, vnico BOVIS, AVREIS CORNIBVS sublimis, symbolo, tum vrbanam, tum Academicam multitudinem fuisse insignem, eo tamen discrimine, quo Poeta antiquus idipsum describit his versibus.

Corniger Albionis dat Bos insignia Athenis,
Cur Bos? indoctos hæc magè signa decent,
Scilicet: ergo Bove hoc fuit Vrbs,
Schola cornibus aurì
Nota: Schola tandem, trina corona datur,
Et Musæ diadema decet, dant Cornibus inde
Cornua, vtroq; satis iam sua signa decent.

Atquì ab aureo illo *Aluredi* seculo nemo vnquam Regum, aut hic, aut vspiam gentium floruit, qui splendidiùs tàm in se, quàm in nostra Oxonia, & libros & literas evexit ad Coronam, & Coronam demisit ad literatos. Itaq; serìò demisit, vt Bibliotheca hâc diu, sedulóq; perlustratâ, & animo,

Studium autem generale amplius quiddam est quam Academia, etiam cum vniversitas, quæ nomen habet quod vniversa ibi disciplinæ tradantur, quum Generale Studium *proprie sit quod à* Generali Concilio, *& in* Totius Christiani Orbis *vsum instituatur, aut confirmetur.*

animo, & voce eam [k] *Alex. Magni* imitaretur optionem, et si *Iacobus* non fuisset, posset hic esse Academicus. Nec illud modò, sed cum catenulas, quibus libri singuli vinciuntur concinnè, contueretur. Equidem (*inquit*) si vnquam mihi in fatis sit, vt (at dicens hæreo, & nisi tu dixisses, nollem *Iacobe* dicere, illudq; tuus nosterq; vertat Deus omen in hostes) captivus ducar, si mihi optio daretur, hoc cuperem carcere concludi, his catenis illigari, cum hisce concaptivis concatenatis ætatem conterere.

Quo dicto, cum descendisset à loco isto, quo quasi conduntur scientię, ad [l] locum inferiorem, quo promuntur, novo trahitur videndi desiderio, ipsosq; aliquâ dignatur gratiâ pari-

[k] *Qui conspecto in Diogene Philosophico mundi contemptu dixit*, Si non essem Alexander, vellem esse Diogenes.

[l] *Nam istius Minervalis pars superior Bibliothecæ, inferior Scholam Theologicam habet: ordine multo aptiori quam Bononiæ, in Ædibus Sãcti Salvatoris, vbi ædificij pars superior Bibliothecam, inferior promptuarium vinarium, media refectorium habet, de quo triplici structuræ ordine* Cardinalis Bobba *ingeniose sententiam se tulisse censuit è Prov. c 9. v. 1. & 2.* sapientia ædificavit sibi domum, miscuit vinum, & posuit mensam. *Angel. Roccha. in Vatican. pag. 395.*

etes,

etes, qui ijs ferè perpetuò resonant Academicorum eruditis laboribus, quibus ipsa Majestas ex pauculorum dierum quasi gustu tam mirificè capiebatur. Ea est quam dicimus, *Schola Theologiæ*, cujus ibi sublimis Cathedra eminet; quanquam & Medicinæ, ac Iurisprudentiæ, linguarumq; Professoribus Regijs nobilitetur assiduè, triúmq; Facultatum istarum frequentibus disputationibus celebretur. Nemini enim ad aliquam graduum in Facultatibus istis sublimitatem aspirandi spes est, qui non priùs crebro sui experimento sub gravissimo eruditorum hominum examine & censurâ, celebratissimo hoc eruditionis Areopago iterum iterúmque se exposuerit.

Ædes ipsæ, vt nomine & vsu, sic Dædalâ totius fabricæ politurâ, planè divinæ; & de quibus, nisi omnium advenarum oculi fascino decipiantur, magnum illud Euologium à magno illo peritissimóq; judice [m] verissimè sit vsurpatum, *Javisurum facilius aliquem, quàm imitaturum.* Parietes vtrinq; sublimibus feneſtris toti ferè vitrei, vt architectonices imperitis miraculi sit instar, istiusmodi fulcimentis tam immania pondera (nam ingen-

[m] *Camdeno in Dobunis, qui illud Zeuxidis huic structuræ accommodat.*

ingentem, quam dixi *Bodleianam* Bibliothecam gestat) sustineri: Neq; tamen aut trabium quicquam est, aut ligneæ materiæ; saxo candent omnia purissimo, saxóq; dices, si tecti pulcherrimè arcuati, pendulæq; sculpturæ mirabilem texturam spectes, planè vivo, & cujus seria contemplatio nonnihil [n] eorum firmabit sententiam, qui nescio quot vicenis annis tantum opus partu laborâsse ferunt: meritóq; (quicquid ingrati detrectent) Majores nostri [o] *Humfredi Ducis Gloceſtriæ* (tam eruditione, & eruditorum patrocinio, quàm Regijs natalitijs splendidi) immortale opus, immortali nomini memoriæq; sacrabant.

[n] *Quod etiam aſtruitur ex archivis Academiæ.*

[o] *Quod paſcis Gloceſtriæ videre eſt in Archivis Academiæ literiſq; ad ipſum ſcriptis vid. lib. Epiſtolarum Acad. in Bibl. Bodleiana & Catalogum Fundatorum & Benefactorum Oxon.*

Quibus dies varióq; sermone intercedente lustratis, reliquas Artium liberalium Scholæ Theologicæ adjacentes Scholas, petit *Iacobi* Serenitas. Sunt illæ longo spectabiliq; ordine decem, quarum tres *Metaphyſicæ, Politicæ, & Phyſicæ* auditoribus destinatæ; reliquæ septem totidem Scientijs Liberalibus his olim inscriptionibus distinctæ.

Gramma-	Dialec-	Rheto-
tica,	tica,	rica:

Literas

Literas Impostu- *Persuade-*
diſce. *ras fuge.* *ant mores.*
Arithme- Muſica: Geome-
tica: tria,
Numero om- *Ne tibi Cura quæ*
nia conſtant. *diſſideas domi ſunt*
Aſtrologia:
Altiora te ne quæſieris.

Omnes, ſi vſum ſpectes, non inconcinnæ & quas elegantes potiùs dicere, quam magnificas, ſi cum vicinis ædibus conferantur. Quod facilè animadvertit, qui tum ſimul aderat, *Henricus Howardus, Northamptonienſis Dynaſta*, ingeratæ Nobilitatis decus, qui, quàm ipſe eſt inſigniter doctus, tàm etiam intimè faveat doctis, quũ Regem Scholis contemplandis intentum cerneret, illius (etiamſi calcare nunquam indigentis) munificentiam viſus eſt accendere voluiſſe quum audiente Rege, *Artes* diceret *liberales quidem dici, ſed aliorum tamen liberalitatem deſiderare; opuſq́ Regia prorſus magnitudine dignum fuiſſe, vt non Artes modò Artiumq́ Profeſſores,*

ſed

sed istæ etiam Artium Scholæ sublimiùs erigerentur.

Longam hanc Scholarum seriem distinguit à Schola Theologica nobile deambulacrum, SCHOLARVM PLATEA, insignitum, frequenti studiosorum concursu celebre: eò quòd quotidiè, (nisi statis Academicarum feriarum temporibus) Scholæ singulæ suis decem Professoribus occupentur, nec cuiquam vllus in Artibus honos conceditur, nisi in his publicis Censorum theatris ad frequens Lectionum, Disputationumq; examen evocato. Quadragesimâ præsertim, multò maxima [m] frequentia; quo toto tempore nunquam hæ disputationum acutissimarum jejunæ Scholæ; eò quòd hic tum habeantur quotannis Comitia *Baccalaureorum in Artibus*, quemadmodum mense Iulij sua sunt *Doctoribus* & *Magistris* in Templo *Beatæ Mariæ*. *Baccalaureorum* enim com-

[m] *Inde fortè evenit, quod Mat. Paris observat, ut plerumq; in Quadragesima, periculosissimæ pugnæ contigerint Oxoniæ, ut & Parisijs, Cui malo ut occurratur annuatim eliguntur duo è Nobilissimis Baccalaureis, qui reliquorum omnium (ut 200. fere annuatim sunt) supervisores sunt, & Collectores dicuntur, quo munere hoc anno fungebantur Illustrissimi Juvenes Dominus Franciscus Stuartius Iacobo Regi sanguine coniunctissimus, doctissimusq; & Nobilium adolescentium flos Dominus Carolus Somersettius Illustrissimi Comitis Wigorniæ, Oxonienſibus, addo & doctis omnibus colendissimi dilectissimiq; filius multo dignissimus.*

muni

muni titulo insignimus eos, qui in quacunq; facultate proximum à supremo graduum assecuti sunt, sive in Theologia, Iurisprudentia, Medicina, sive in Artibus liberalibus. Illum autem supremum gradum in ijs omnibus, ne eodem titulo compellemus, vsus obtinuit. Vsus (inquam) non Ratio, aut Æquitas. Nam quum jam *Magistros* tantùm in *Artibus* nominemus, in reliquis autem facultatibus *Doctores*, temporibus antiquioribus vtriusq; compellationis jus erat commune; quando *& in Theologia Magistri* dicebantur, *& in Artibus Doctores*. Sic Papa [a] olim in literis suis *Stephanum Langtonum Archiepiscopum Cantuariensem*, ait, fuisse *Doctorem non solùm in artibus liberalibus, sed etiam in Theologia*. Quod & ipsa adhuc [b] statuta nostra comprobant, quæ eos *Cathedram Magistralem* ascendere asserunt, *qui aut in Artibus aut reliquis facultatibus Doctoratum assequuntur*. Quod quia sint qui dubitent, rem manifestam reddet [c] exemplum perantiquum *Iohannis* illius *Florentini*, qui post mortem *Francisci, Franciscanorum Generalis* primus eligebatur. Erat ille quidem primò Iudex in Foro; sed meditabundus aliquando è fenestra despiciens

a *Mat. Paris ad annum* 1208.

b *Lib. Stat. Procanc. Oxon.*

c *Hospin. de Origine Monachatus.*

despiciens, audiensq; Pastorem porcarium dicentem, *Intrate Porci in stabulum, vt Iurisperiti & Iudices in Infernum*, veritate dicti', metúq; gehennæ perculsus, abjuratâ Iurisprudentiæ professione, ordinem fratrum Minorum intravit, posteáq; humilitatis ergò instituit, vt nullus ex *d* ordine suo, vnquam *Magister* diceretur, sed tantum *Frater*. At *Alexander de Hales*, quum relicto *Oxonio*, *Lutetiæ* studeret, adversus *Parisiensem Vniversitatem* victoriam obtinuit, vt non obstante statuto istius *Florentini*, possent in cunctis mendicantium ordinibus, sine conscientiæ scrupulo, creari *Magistri in Theologia*; quorum omnium ipse primus erat, & hoc ipsum in tumulo ejus *Parisiis* in conventu fratrum Minorum, adhuc visitur descriptum his versibus; d *Antonin. l. 24. c. 9.*

Clauditur hoc tumulo famam sortitus abundè,
Gloria Doctorum, decus & flos Philosopherum
Autor scriptorum, vir Alexander variorum:
Inclytus Anglorum *fuit Architevita, sed horum*
Scriptor clericorum, frater collega Minorum

Factus,

Factus, egenorum sit Doctor primus eorum.

Scrupulus verò iste Conscientiæ inde exortus est, quòd Ingens illa Dignitas Magistralis (id est Doctoratûs) cum *Fratrum* humilitate minimè coalescere potuisse videbatur: imò nec cum nomine *Fratrum* convenire, quia propter summam reverentiam, nemo debeat *Doctorem* vnquam *Fratrem* compellare sed *Dominum*, vnde liquidò ex veteri etiam Academiarum transmarinarum consuetudine constet, eandem penitùs esse *Magistris* & *Doctoribus* tàm nominis quàm dignitatis communionem. Quod hoc in loco, tametsi fortè alieniori, præteritum nolui, vt quorundam (si fieri possit) Academiarum gravem errorem corrigam, saltem indicem, qui quum fortè *Doctoris in Musica* vocem legerint, tantâ inde temeritate proruperunt, vt ejusmodi hominem omnium Scientiarum Libe. alium *Magistris* gradu antepositum censuerint. Perabsurdè. Vt qui vnicæ (illiusq; tantùm non Mechanicæ) facultatis *Doctor* evaserit, eo præstantior evadat, qui & istius, & *f* aliarum omnium

[c] *Segar. lib. inscript. Honor milit. ry, l. 4. c. 15.* [f] *Qui duplici dignitate cohonestatus est, præfertur ei, qui vnicâ tantum habet, vnde Doctor vtriusq; iuris præfertur Doctori vnius. Bald. in l. Nobiliores c. de Commerc. & mercat. & in l. Nemini c. de Advoc. diversi. iudic. Et ille debet præferri cuius exercitiũ est communius & universalius. l. Nam ad ea D. de leg. Boet. de ord. gradu. 41. Cravet. in Rubr. de leg. 1. n. 55.*

multò

multò nobiliorem Artium *Doctor* evaserit. Tantum, etiam Doctis, error nominum vocumq; ignorantia interdum imponit.

Cæterùm (vt me revocem) licèt Quadragesimali Disputantium calore, istæ maximè ferueant *Scholæ Artium*, reliquis tamen anni temporibus, minimè frigescunt; sed horis antemeridianis, Magistrorum Regentium, Pomeridianis, Scholarium in Artibus, disputationibus celebrantur; quarum illas *Quodlibeticas* & *Magnas*, has (quia ijs inferiores, *Paruas*, iam etiam corrupto nomine) *Parvisias* dicere consuevimus; vt intelligant illi errorem suum, qui has ita dictas censent, quia *per visum*, & præsidium Baccalaureorum istas Scholarium certamina regantur. Nec tamen his in Scholis omnia *Baccalaureorum* gymnasmata continentur; sed quæ á Magisterium ambientibus præstanda sunt, ea, vt nobiliori quodam examine trutinentur, sub præsidio duorum præstantium Magistrorum (quos tum ad id munus obeundum, tum etiam vt scholis præsint, annuatim eligimus & *Scholarum magistros* appellamus) in Templo *B. Mariæ* spectabili concursu jam celebrantur; o-

sim

lim autem in celebratissimo hîc *Augustinensium* Monasterio, (quàm diù eiusmodi Cœnobia florebant) habeantur, vnde & [n] nomen adhuc retinent; quod eo factum est consilio, ne quis tantum gradûs ambiret dignitatem, qui non omnium ordinum tela, & tentamenta ingeniorum sustinendo esset; vnde & frequenter contigit, vt inter [o] omnium ordinum Monachos, reliquosq; Academicos, gravissimæ & implacabiles simultates consererentur. Quòd si tamen advenis alienigenis hæc aliaq; loca publicarum exercitationum minori aliquando auditorum concursu ornari, quàm in exteris Academijs censeantur, ijs audire libeat, tantum hoc abesse ab Academiæ nostræ dedecore, vt eius aliqua pars sit gloriæ, quà alias Academias antecellit. Nec enim florentium Britanniæ Academicarum eam esse conditionem, quæ gentium aliarum; ibi, plerùnq; ab istis publicis Professoribus studiosos pendere omnes: apud nos verò quot Collegia, tot Academias videri; quibus singulis, quum Linguarum, Artium liberalium auditionibus quotidianis, perpetuisq; disputandum disquisitionibus studiosi omnes privatim multóq; majore

[n] *Adhuc enim dicuntur* Disputationes *ad* Augustinenses

[o] *Ex Arch. Acad.*

majore cum fructu distineantur, patimur non molestè, publica auditoria ijsdem horis videri infrequentiora.

Hujusmodi spectaculis, sermonibúsq; à publicis Literarum Domicilijs studiosus Rex dilabitur ad privata. In propinquo est *Æneï-Nasi Collegium* spectatu dignum, cujus præ foribus, nominis antiquitatísq; index, *Nasus* monstrosè prominet *aheneus*. Regem statim venerabilis, D. D. *Singletonus*, & reliqua studentium cohors, prostrati omnes, officiolâ oratione excipiebant. Qui dum posteà circuit, perlustrátq; omnia cupidè, cupientiùs tamen sermocinatur de *Bacono*, celebratissimo *Oxoniensium* Mathematico, quem ibi peritiæ suæ ferunt illa fecisse pericula, quæ meritò peritissimi admirantur; & si vulgus imperitũ fabulas supra fidem stupendas admiscuerit, quasi is unus Deos, Dæmones, Homines, suo nutu coerceret, cúmq; æneo, quòd formârat, capite, cujus reliquias Nasum istum putant, de rebus maximis familiariter colloqueretur. Atquî, quod ignari somniant, prudentes sæpè credunt. Credibile est exquisito ingenio suo aliquid ejusmodi fabricâsse, quod imperitorum oculis (nec hoc arti difficile) imposuerit; etiam

tiam oculis fortè peritorum. Quidni? Quum satis constiterit Alberto Magno, statuam ad vivam hominis imaginem construxisse, quæ libramentis quibusdam rotisq; intrà latentibus, & linguam quadam machinarum disciplinâ perinfimè moventibus, verba quædã articulatè pronuntiaret. Quã statuam quum aliquando *Tho. Aquinas* (ab *Alberto* missus in cubiculum, vbi illa latebat) inopinatò clarâ voce loquentem audiret, vehementer perterrefactus, fuste machinã confregit; quâ re statim intellectâ, *pol* (inquit Albertus) *triginta annorum opus vno momento contriuisti.* Hujusmodi quid à *Bacone* subtiliter excogitatum non negârim, quum tantum ingenij polluerit subtilitate, vt meritò in illum quadrare possit magnum illud eulogium quod subtilitatum [m] Iudices de *Suisseto Calculatore, Scoto, & Occhamo* (nostris *Oxonienſibus*, & [n] *Mertonenſibus* meis) pronuntiârunt, quos supra omne penè humani ingenij fastigium collocant. Quod nobilissimi certè recentioris ætatis [o] Mathematici gratè agnoscunt, qui quicquid mirificum assecuti fuerint, illud *Baconi* scriptis acceptum referunt. Sed quantùm Acãmia nostra (quæ suorum etiam mortuorum

m *Scaliger et Cardan.*

n *Hinc est quod Collegium istud optimorum ingeniorũ Seminarium feracissimum appellet* Iohãnes Casus *lumen, dum vixit Oxoniensis Acad. in proœmio comment. ad octo lib. Phys.*

o *Digges & alij.*

tuorum æstimationi consulturum esse cupit) fando vnquam acceperit, à Magicis istis Dæmonum impostoris non minùs abhorruit, quàm in mirabilibus illis scriptorum suorum reliquijs (quas *Bodleiana Bibliotheca* conservat) serió se testatur abhorrere.

Collegio quidem huic fundator ascribitur Honorificus *Episcopus Lincolniensis Gubelmus Smith*, multis à *Bacono* seculis, qui voluit tamen nomen id Collegio suo manere, quod excitârat ex ruinis Aulæ perantiquæ, *Nasi Æsei* nomine & insigni notissimæ. Ad cujus olim Aulæ literariæ præfecturam creditur accitus *Baconus* è *Collegio Mertonensi* & eâ etiam postea depositâ, vt tranquillius in Matheseos contemplationem scriptionémq; se abderet, ? Religionis habitum induisse. Nec tamen nescio esse, qui temporum subductis calculis, dubitent, quo pacto tam varia tamq; temporibus discrepantia, de hoc *Bacono* verè asseverentur; Quorum ego calculis etiam meum adjicio, planéq; censeo plures hic *Oxonij Baconos* floruisse, omnes eximijs literatum laudibus florentes; nominis tamen errore contigisse, vt eorum omnium laudes in vnum congererentur; quod ipsum in *Hercule*,

? *Nam in cœnobio hic Fratrum Minorum tumulus eius atq; epitaphium non ita pridem visebatur.*

Sibylla alijsq; factum legimus, quorũ singulorum seperatam gloriam, scribentium partim error, partim affectus in vnum aliquem cumulavit. Nec sine magnis authoribus ita censeo; è quibus constat, quum hic [q] *Oxoniæ Henricus* tertius concilium indixisset Baronibus, [r] eum duos tum in colloquium admisisse *Bacones*, alterum *Robertum* de ordine Prædicatorum, cujus concionibus Rex apprimè capiebatur, *Rogerum* alterum, jucundis sermonibus Regi perdilectum; qui cum viderent offensos *Barones*, quòd Rex nimiùm abduceretur Episcopi *Wintonienſis*, ejusq; filij consilijs, *Robertus* luasit Regi vt eos à concilio amoveret; *Rogerus*, callidâ suggestione insinuans Imperantium conditionem inter fluctuantem populum, similem esse navigantibus inter fluctus maris, & *quid* (inquit) *Domine Rex, maximè impedit Navigantes?* cui Rex, id meliùs noverunt, *facientes operationes in aquis multis:* tum ille, Et ego (inquit) novi; *Petræ*, & *Rupes*; tacitâ allusione Episcopum *Wintonienſem*, cui nomen [s] *Petrus de Rupibus*, ejusq; filium, *Petrum de Orivalle*, quasi fomites seditionis designans. Præter hos etiam duos *Bacones*, alius erat, *Iohannes*, *Rogeri* frater, princeps

[q] *An.* 1233.
[r] *Mat. Paris hiſt. ad ann.* 1233.
[s] *Sive* Pet. de la Roche *Epiſc. Wint. factus ann.* 1204. *ſummæ gratiæ apud Regem* Iohannem, *qui eũ ſummum Angliæ Iuſticiarium creavit; filius etiam eius erat Angliæ Theſaurarius, vid. Mat. Paris, & Godwin de Epiſcopis.*

t princeps eâ ætate Theologorum, qui viginti septem libris Testamentum novum illustravit, quem eundem esse arbitror, cujus alia erudita opera u *Bacombergij* nomen adsciverunt. Sed juxta hanc *Baconi* Aulam, & alia erat illa multò antiquior, quam etiam Collegium hoc *Æneanasense* ambitu suo includit, aut potiùs absorpsit; quæ *Aula Regia* cluebat, nobilitata tum Fundatoris sui glorioſissimi Regis memoria, (*Aluredum* enim vendicat; qua causa fundus Collegij *Æneanasensis* adhuc jure spectat ad possessionem *Collegij Vniversitatis* priùs ab eodem *Aluredo* fundati) tum *Iohannis Erigenæ* immortali gloria, qui eam x primus rexit, homo ob eruditionis ingenijq; mirabiles dotes *Baconi* multùm anteferendus, nec apud Italos modò Gallosq;, sed inter Græcos & Arabes celeberrimus; ideóq; etiam jam ostentant se illic, ejusdem *Aluredi* vnàq; *Erigenæ* facies, opere perantiquo affabrè formatæ, quas grata posteritas, è rudentibus conservatas parieti præ foribus Refectorij affixit. Hanc de *Erigena*, hic tunc temporis legente, assertionem ita indubitatam historiarum certissima fides reddit, vt y *Baleus*, vir in historijs Britanni-

t *Fierbert. descript. Acad. Oxon.*

u *Nescio an hic potius erat* Baconus *Collegij* Mertonensis *socius quam Rogerius.*

x *Id est quod innuit* Balæus *quum dicit eum fuisse primum qui Aluredi iussu legerit Oxonij.*

y *Baleus in vita Aluredi & Iohannis Erigenæ, alias Scoti.*

tannicis exercitatus, licet inter *Oxonienſis* gloriæ invidos meritò numeratus, tamen & id ingenuè agnoſcat, & ꝛ suorum tum imperitiam, tum impudentiam verè coarguat, qui eum *Cantabrigiæ Bedam* legentem audiſſe fingunt, niſi eum 170. annis vixiſſe fidicit *fabulam* mul concederent. Sed quid opus eſt *Cantabri, vt* eorum fabulas refellere, qui à ſcriptoribus non noſtris ſed [a] ſuis, menda- *mendacium*, cij indies deprehenduntur? *Bedam totamq; hiſtoriam* Niquis niſi cerebri læſi putat? quum ipſe Codicis ſe diſertiſſimis ſcriptis ſuis aſſerat, ſe *vt Nebulonis* nunquam extra Monaſterium ſuum *alicuius male* operam literis dediſſe, at ne inde vnquam ferè egreſſum à pueritiâ; *Cantabrigiam* verò, ſuâ ætate adeò Academiam celebrem non fuiſſe, vt fuiſſe planè deſolatam civitatulam aſſerat.

ꝛ Cai. Antiq. Cant.

[a] Lelandus enim explodit fabulam Cantabri, vt ridiculum mendacium totamq; hiſtoriam Nigri Codicis vt Nebulonis alicuius male ſeriati impoſturam, in Cygn. Cant. Baleus etiã vt hic ita paſſim refellit ſimiles eorum fabulas & in poſtrema ſua editione expungit, quæ tenere priori inſeruerat. Author hiſtoriolæ Cant. (quæ præfixa erat priori editioni vitarum Archiepiſcoporum Cantuarienſiũ) ait eos magna ſedulitate typis divulgaſſe incertas, & à vulgo acceptas coniecturas potius quam veras aut vel probabiles rationes. Et vere omnes: nam ita me veritas amet, neminem vnquam legi ita ſerio mentientem ac Caium Cantabrigienſem.

Quod genus narratiunculis quum Regem aliquandiu detinuiſſent, ita

hic

hic primus vnius Collegij conspectus placuit, vt vlterius & ad alia pergere placuerit. Nec vllum propinquius, aut spectabilius splendido *Chichlæi Archiepiscopi Cantuariensis* monumento; qui præter alterum in subvrbijs *D. Bernardi* nomine eximiè extructum, hic [b] etiam *Omnium Animarum* memoriæ pulcherrimum excitavit. Nam prudens simul, & magnanimus Archipræsul, quum animadvertisset viros in Aula Regia militares sacrilegè Ecclesiarum possessionibus inhiare, vt eorum rapacitates ad aliam prædam diverteret, *Henrico Quinto*, delibato militiæ flori, calcar adhibuit ad suum in Gallia jus imperij armatis copijs recuperandum, [q] Regi in illa memorabili gloriosissimaq; expeditione Gallicâ adfuit à latere, quumq; animo revolueret quot tum millenis animabus Gallicanum illud Diadema, suúmq; consilium Regi constitisset (quanquam ea causa justissima) vt tamen suis ostenderet, Ecclesiæ Præsulum (audi Papa Pontifex, parricidarum pater) non modò sacras manus, sed mentes etiam, & consilia à cædi-

[b] Collegium Omnium Animarum *dictum*, *vbi* Linacer *socius erat*, Thomaq; Morum *discipulum habuit* Stapleton in 3 Thomis, *in vita* Mori, *c.* 1. *& Epist.* Mori *ad* Dorpium, *vnde videre est quam sincere egerit* Middendorpius, *qui vtrosq;* Grantæ *alumnos mentitus est*, *vbi cum aliquot alios viros eruditos nominet*, *vnicus* Fisherus *vere illo in numero habendus*. Middendorp. Acad. in Cantab. [q] *M. Parker in vita Chichlæi*,

bus abhorrere debere, quibus vitam ademerat, eorum tamen mortis hic ſtabilire voluit, ſuæq; ſimul magnificentiæ æternam memoriam. Quò Regi ingredienti, obviam it venerandus Collegij cuſtos D. D. *Hovenden*, qui reliquo ſodalitio genibus ſubſidenti cinctus, ſuam, ſuorúmq; omnium devinctiſſimam gratitudinem, & amorem gratulatoriè officioſéq; cõmendat. Regij deinde, & pedes expatiantur, & oculi; quicquid in ædificijs ſpecioſum, in Templo magnificum, in Bibliotheca ſpectabile, videt omnia probat omnia, & quò plura videt, eò plura videre velle profitetur.

Sed quòd Collegia omnia videndi, ſuæq; Majeſtatis præſentiâ decorandi, otium non eſſet, quantumvis percupienti, ea ſaltem videre placuit, quæ eſſent inſtar omnium, quæq; reliquorum omnium lucentem imaginem referrent. Quo animo *Divæ Magdalenæ Collegium*, etſi extra Civitatis muros remotius, inviſurus pergit, vt ædes Domeſtico, quidem ſplẽdore illuſtratas, *Henrici* verò dilectiſſimi filij ſui præſentiâ, hoſpitióq; iam multò magis glorioſas, ſuæ etiam Serenitatis, Benignitatiſq; jucundiſſimâ acceſſione redderet beatiſſimas.

Eò

Eò dum pergit, oculis discursantibus omnia contemplatur: à dextrâ, [a] *Aluredi Regis* (antehæc secula) doctissimi, immortale opus, antiquitatis, authoríscq; majestate venerandum: qui quum videret hostili, civilíscq; rabie miserabiliter imminutam Academiæ gloriam, quâ olim à seculo Britannico floruisset, Regio literarum, pietatísq; ardore inflammatus, [b] tria hic illustria fundavit Collegia quibus (teste, qui tum vixit c *Asserio*) filium suum *Ethelædredum*, vnà cum omnibus penè Regni sui Nobilium filijs ad liberales capessendas Artes educavit. Quâ fortè causâ hoc tum Collegium, *Vniversitatis* [d] *Aulæ Magnæ* dicta, nomen posteà dederit omnibus nostris studiosorum hospitijs, quorum ferè ducenta olim habuit hæc Academia. Quo minùs mirum videri debet, qd aut *Armachanus* scribit, se hic [e] trinevensem *de rebus gestis* Aluredi.

[a] *Cognomento Magni, et meritissimè; magnus enim imperio, pietate, munificentia, literis; nam eximius habitus Philosophus, Rhetor, Geomet. Baleus in vita eius.*

[b] *Ross. Warwic. Leland. in Comment. in Cygneam Cantionē de Isidis viado.*

[c] *Vid.* Asserium Menevensem *de rebus gestis* Aluredi.

[d] *Aulas enim Principum & Nobilium Ædes dicere solemus, ideo* Lipsius Basilicas *dici mavult huiusmodi studiosorum ædes, quas &* Lovanij Halas *dictas ait, eoq; nomine designari solere ampla & publica Nundinis celebrandis destinata ædificia Lips. in Lovan. & huiusmodi loca à Franc.* Hallas *dici testatur* Gaguin. *l. 6. de gest. Franc.*

[e] *Vt constat ex Archiv. Acad. unde eorum omnium nomina, situmq; totamq; fere institutionem colligere non est difficile*

ginta e mille ſtudioſorum cognoviſſe: aut, quod Hiſtorici noſtri teſtantur, Reges, viginti tum millia paſſuum vndiq; à Civitate ijs in annonâ ſequeſtrò poſuiſſe. Quanto autem ea quæ diximus, ab *Aluredo* poſita cum ſumptu, facilè æſtimabit quivis, qui æſtimare poteſt tanti Regis fortunas, quarum omnium partem f tertiam huic Scholæ locuples ſcriptorum ſententia *Aluredum* addicâſſe teſtatur. Quæ omnia *Lelandus*, quamvis æmulus, ingenuè fatetur: etſi g illud in *Cygneâ* ſuo parùm candidè, cum aſſerat in Academiæ noſtræ hiſtoriâ, *Aluredi* nullam, prorſus nullam, beneficij ex tare mentionem, aut agnitionem. Nam h antiqua, quæ apud nos manent, rerum temporumq; teſtimonia, *Aluredum* beneficentiſſimi Mæcenatis noſtri laudibus inſigniunt. Quin etiam (quod *Lelandus* valdè vult) Fundatorem interdum comprellant; ſed alio, quam ille, ſenſu, quòd literarum

a *Aſſerius, Leland loco citato Polychron. l. 5. c. 1. Guilelm. Malmsburienſis de Regibus & alij.*

b *Conent. in Cygneam cantionem in Ifidis vado.*

c *Archivis Acad. li. Epiſtolarum Academic. in Ep. ad* Hũphred. Ducem *vbi dicitur dona Ducis fuiſſe omniũ maxima quæ data ſunt Academiæ à tempore* Aluredi *fundatoris, l. Epiſt. f.* 108. Aluredus alijq; *fundatores Academiæ commemorantur. Nam & moris eſt apud nos etiam patronos Collegiorum Fundatores nominare, &* Caius Gonellianæ Hoſpitij *fundatorem ſe dixit, quum pauxillum, neſcio quid, donaſſet.*

primarium

rum fluctuantem conditionem, direptionumq; tempestatibus agitatam, amore complexus est, ædificijs ornauit multitudine restituit, stipendijs professorum stabiliuit; quod ipsum est (quod ingenuè, libenterq; agnoscimus) refundauit. Eum enim primarium fuisse hic literarum institutorem nescio vtrùm discere, an credere sit insanius, quum indubitatissimâ *Asserianæ* historiæ veritate constet, *Grimoaldo*, quem Academiæ Cancellarium præfecit *Aluredus*, gravissimas fuisse cum antiquioribus studiosis de disciplinarum ratione contentiones, nec sopiri potuisse, nisi *Aluredi* ipsius præsentiâ, qui, quum huc accederet, asseritur ab *Asserio* antiquos Academiæ annales evoluisse, manifestissimisque testimonijs deprehendisse, pristinam illam disciplinarum rationem olim temporibus Pelagianis, à *Sancto Germano*, *Kentigerno*, *Nennio*, literis hìc operam dantibus comprobatam fuisse. Hoc tum agnovit *Aluredus*, hoc jam agnoscunt nostri [k] Feciales, soli apud nos controversarum Antiquitatum Iudices. At quid dico Feciales? quum hæc ipsa Antiquitatis lis, publico jam nuper totius Regni conventu [a] Parlamen-

k *Clarentius Camb. in Dobunio.*

a *Parliamentento apud Westmonast. sub initio regni* Iacobi, *in quo quum quid actum esset de Acad Oxon & Cantobrig. quidam scribam corrupit, vt nomen* Cantabrigiæ, *præponeretur* Oxoniæ. *falsarii fraus detecta, & indigne a Parlamento lata. Academiarum antiquitas examinatur, & quãm veritas postula-*

vit, communi assensu, adscripta Oxonienſi.

b Cassanæus *vt supra.* Alberic. Gentil *de Acad. Oxon. et Perusin. omnes*q; Glossę Iurisperitorum *in* Clement. *c* Vienn. Concil. *& aliorum omnium quę illud cor wobarunt.*

d Id videre est vbi Wiclefum *nobis quasi infamē Academiæ natam obiecit, quo nos imprimis gloriamur; eoq; nomine ita placet* Middendorpio.

mentario, ex antiquissimorum Historicorum fide examinata sit & determinata, & præcedentia *Oxonienſi* Universitati communi applausu, omniũq; suffragijs asserta? Quid volunt vlterius? Nisi vt jam Cajanis fabulis, delirijs, insomnijs, mendacijs valedicant modestè, immodestè confictis? Præsertim quum domi adversarium habeant non Fecialium modò omnium, sed communem Regni totius consensionem; foris non *b* Iurisperitorum modò omnium, sed *c* Conciliorum etiam generalium, id est, totius Christiani orbis sententiam manifestã. Quis horum omnium exercitui se opponit? *Iohannes Caius*, vir, fidei vt in rebus *d* Religiosis, ita in Historicis nullius planè, At quo clypeo fretus? *Nigro Codice*. Bellator bellissimus; sed habet fortè alios scriptores Co-academicos, suos coadjutores! Clarissimam Academiam tam indignâ temeritatis notâ violare non ausim; Imò qui inter ipsos istius Scholæ antiquitatem acerrimè *e* tuentur, non asserunt tantùm, sed & probant indubitatis argu-

e Historiola Acad. Cantabrig. & Collegiorum omnium, præfixa primæ editioni vitarum Archiep.

mentis

mentis *Cantabrigiam, Generalem Artium & Scientiarum Academiam fuisse & stabilitam non fuisse, ante vicesimum annum Edwardi tertij*; (hoc est undiquetertius ferè, si *Aluredi* seculum spectemus) *quo Rege intercedente apud Iohannē Pontificem Romanum, Vniversitatis ibi stabiliendæ privilegium ijs est concessum vt Petrus de Iokham Monachus Ecclesiæ Cantuar. scribit.* Quid vultis amplius? Confitentem habemus reum. At negat *f Middendorpius*. Perimus. At audiamus tamen, qua manu pereamus. *g Thomas* (inquit) *Hatcherus ad me literas dedit, &c.* Quis hîc non videt *Hatcherum* illud ipsi mendacium, tanquam ovum, exclusisse, simúlq; *Caij* librum transmisisse, quorum infida fide ille omnia quasi veritate veriora, producit? Vbi etiam observatu jucundum est, quomodo in circulo ludant Vespillones. *Caius* enim *Middendorpij* testimonio rem probat: *Caij* testimonio eandem probat *Middendorpius*: sic manus manum, & falsarius falsarium fricat. Quin potiùs suam oportet agnoscere ignorantiam, qui de exterorum rebus scribit, quorum res gestas nunquam legerit. Imò *Middendorpi* (tibi clàm in aurem dico) agnosce impudentiam tuam, qui ita confidenter scribis

f Lib. de Acad.

g Ibidem de Cantab.

scribis de Academijs, ac si in omnibus ætatem totam vixisses, ita tamen frigidè, futiliter, indoctè, ac si in nulla vnquam vel diem vnũ posuisses. Quis enim est, cui vel mica salis in cerebro esset, qui tam ridiculis Bullarum fictionibus sibi ita imponi pateretur? Qui enim illi Pontifices Romani, quorum Bullæ tam bellè de *Doctoratu* alijsq; *gradibus* Vniversitatis verba faciunt, multis seculis antequam ista nomina scholastica *Graduum* & *Vniversitatum* nascerentur? Quis ille Rex Britanniæ *Arthurus*, qui diploma suum *Londini* in regiâ suâ datum, Academię concessit? quum neq; *Arthurus* a Rex vnquam Britanniæ fuerit, nec vnquam *Londinum* occupaverit. Meræ ista omnia nugæ, tamen eâ fronte affirmatæ, vt non negem b exteris & nostrarum rerum imperitis non difficulter imponi posse, si quodcunq; domi impudentes somniant, id foris imprudentes credulìq; admittant. Sed familiare est *Middendorpio* ejusmodi bolos à quocunq; oblatos devorare; quod videre est, vbi asserit fundatam *Bononiensem Academiam* à *Theodosio*, circa annum, 425. & rescriptum *Theodosii* eâ de re productũ, qui *Philippus* Rex Angliæ nominatur. Quis istæc non risu excipit?

a *Erat fortassè fortiss. Dux adversus Romanos. sed Regno nunquã potitus.*

b *At nollem Hospinianos, virosq; doctos aliena fide has fabulas amplecti, sed cautius perpendere quæ posteris commendent vide Hospin. de orig. Monachat. vbi citat hanc Arthuri Chartam.*

excipit? Quum nec vnquam Rex Angliæ fuerit eo nomine, nec ipsa Anglia, Angliæ nomine ante *Egberti* Regis imperium potiretur, qui quadringentis ferè annis post rescriptum hoc Theodosianum, id nomen huic nostræ Insulæ indidit. Sed non est mihi jam otij asinos flagellare; vt tamen alij verbo intelligant, quàm gravis is author fuerit, quámq; peritus intelligénsq; rerum, vel sui temporis, narrator, perpendite quæso vel vnicam illi suam de *Angliæ* nostræ sub *Diva Elizabetha* conditione censuram, quâ, rerum antea inauditam, atq; incomparabilem felicitatem, hoc emblemate depingit. *Vehementer ergo deplorandum est, quòd florentissima illa Insula &c. Tantum de antiquis ornamentis & gloriâ maiorum, de pace, & tranquillitate amiserit, vt omnes Gentes inde exemplum capere possint.* Potestis satis ex hoc ruditu, *Sileni* vectorem agnoscere.

—Sileni vector Asellus
Intempestivos edidit ore sonos.

Narratur apud Indos, [b] infantes canis capillis nasci, senescentes toto capite nigrescere. Nec dissimilis rerum apud huiusmodi imperitos antiquitatum Iudices æstimatio qui quæ recens nata sunt, filicerniorum canitie ornare

[b] *Iul. Solinus c. 65.*

ornare ausint; quæ multi seculi æterna gloriâ floruerunt, eadem quia [c] *Anaxagoras, Pythagoras, Anaximandrus, & Ambrones* non viderint, canitie suâ spoliare, modernæq; originis ignominiâ denigrare.

[c] *Hos omnes plureſq; similes Cantabrigiæ studuisse fabulatur Caius ridiculo, præsertim de Ambronibus, quam gentem truculentam ait Cantabrigiam occupasse quum certo certius sit Ambrones non homines fuisse sed lupos, vt Camdenus ostendit in Britannia sua.*

Sed *Jacobo* pergente, quid ego fisto, Contuetur is dein à sinistra elegans *Philippi Edwardi Tertij* consortis opus, *Collegium Regine* dictum, & nobilitatum duorum Principum, omnium, quos Anglia vidit, fortissimorum educatione; videlicet [d] *Edwardi Principis*, cognomento *Nigri*, & *Henrici Quinti* felicissimi Regis, cuius (*vt Rossi Warwicani* verbis vtar) tunc camera erat supra portã, in introitu dicti Collegij, vbi studit sub tutela Patrui sui *Henrici Beufort*, tunc Cancellarij Oxonienſis, postea Presbyteri Cardinalis tituli *Sancti Euſebij*. Nec certe immemorem se præstitit Academiæ nostræ Alumnum, sed etiam tum *Wallie Princeps*, in gratiam Academiæ impetrauit à Patre non tantùm ampla priuilegia, sed & magnifica etiam dona, posteaq; regno potitus, præter alia eius illustria beneficia, libros suos omnes Vniversitati legauit testamento, siq; vitæ stamen intempestiuè fata non præscidissent, Collegio multo nobilissimo

[d] *Ferunt iis fuisse cubibula, quæ ad extra sunt, ad pedem scalæ lapideæ qua Bibliothecã ascenditur.*

lissimo (cuius prima fundamenta, vbi Ciuitatis Castrum visitur, delineauerat) Academiam ornâsset: qualis fati immaturitas *Collegium* etiam hîc *Regiue* multo splendore priuauit; sic enim primò instituebatur vt vnus esset Præpositus, & 12 socij ad similitudinem 12 Apostolorum; quibus pro numero septuaginta *Christi* discipulorum totidem scholares (ni fama mendax) subiicerentur, & quod adhuc obtinet) vt ad victum clangore bellici *Clarionis* sive *Buccinæ* convocarentur, omniàq; planè Regiâ magnificentiâ administrarentur, Cui Collegio adiacet studiosorum *Aula* ° *Sancti Edmundi* nostri nomine & memoriâ insignis: *Sanctiq; Petri* Ecclesia, nobilis tàm fundatoris antiquitate, (is erat *c* Edmundus *Cant. Archiep intelligo natum Abingdoniæ iuxta Oxon. qui hic literarum gloria floruit, & hanc habuit hic S.* Sewalum *Eboracensem Archiep. discipulum cui prædixit afflictiones quas passus est, quod tyrannidi Papali se opponeret, vide Mat. Paris. hic etiam alium discipulum habuit S. Richardum postea Oxoniensis Acad. Cancellarium; adeo felix semper erat hæc Academia, eorum proventu, qui non Papalibus Indulgentiis, sed suis virtutibus Sanctorum apud omnes titulum obtinuerunt. Talis & doctissimus* Rob. Lincolniensis *quem Mat. Paris ait ab omnibus Sanctum dictum quanquam ille (vt & reliqui quos dixi) Papam toto impetu oppugnavet, eumq; Antichristum esse probaret. Vide Mat. Paris. & vitas Archiepisc. Cantuar. & vitas Episcoporum à Godwino scriptas.*

Grimoaldus

Grimoaldus quem modo diximus ab *Alfredo* Academię Præpositum) quàm Quadrageſimali Concionum Academicarum celebritate, quam ad hæc vſq; tempora, à prima eius fundatione ſolenni ceremonia continuatam non improbabiliter ſuſpicatur. Quibus à tergo relictis, viſuntur mox *Magdalenenſium*, ſeu verius iam *Principis Henrici* ædes, quibus et ſi *Vaia fletus* ortum, & *Magdalenæ* fletus nomen dederit, *Iacobi* jam radij lacrymas exſiccaſſe, gaudiumque nunquam obliviſcendum viſi ſunt induxiſſe. Eaque gaudia, ne putarentur nulla, vbi nulla exprimuntur, *Douglaſius Caſtillonius* publicæ lætitiæ gratitudiniſq; expeditus interpres, Regi ob oculos poſitâ exhibuit oratione: vnde mox, quicquid ab initio in illuſtre hoc *Henrici Principis* hoſpitium viſu dignũ delineavimus, pedibus, oculiſq; lętus metitur deq; ſingulis lętus colloquitur, adeòq; abſolutam fundationis iſtius formam rationemq; vniuerſam Regij judicij cenſura comprobauit, vt palàm diceret ſe perluaſiſſimum habere in toto terrarum orbe nuſpiam eſſe Collegium, iſtoc omnibus numeris conſummatius aut magnificentius; vt

non

non immerito Lipsianum illud eulogium huic in primis (quanquam & cæteris hic multis) scribi possit, *Pulchrum* (inquit ille) *Collegium inuentum, & quod in Anglia magnificè vsurpatur, neque credam in orbe terrarum simile esse, addam, aut fuisse. Magnæ illic opes & vectigalia. Verbo vis dicam? vnum Oxoniense Collegium* (*rem inquisiui*) *superat vel decem nostra.* Magnū Censoris magnum encomium. Rex autem quum demum ingrederetur (vti est librorum auidus inspector) Bibliothecam, & manuscripta, vetustatis situ ferè evanescentia, contueretur, antiquæ fidei, cuius est defensor, eiusdem & amator, verissima oratione fassus est, etiamsi volumina recentiora characterum, compaginumq; ornatu multò sunt oculis jucundiora, istiusmodi tamen canitie squalentia plus suo palato arridere: horum enim fide tàm hominum quàm librorum recentiorum testimonia judiciaq; æstimanda. Discessum tandem paraturus, vt omnibus Collegij studiosis, eum officiosè deducentibus, vultu, voceq; patefaceret, quàm grata ipsi fuissent omnia officij eorum, amorisq; testimonia, fronte, qualem semper gestat, serenissimâ va-

le

ledixit, & capite discooperto, voce benignissima, *Valete* (inquit) *generosi, valete omnes.*

Istis tot rerum, locorumq; varietatibus oculos pascente Rege, aliæ interim curæ Satrapas avocant; aliæ itidem Reginam, Hiroinasq; famulantes illi, quo sunt vel literarum splendore, vel literatorum patrocinio insignes singuli, cum primis autem Regis literatissimi exemplo accensi vniuersi, non nullam gloriæ luæ futuram accessionem censuerunt, si militaribus suis, quibus præfulgebant omnes, titulos insigniàq; literatorum adjungerent. Ita in solenni Academicorum conuentu, Campanæ sonitu conuenientium, præcellentissimus *Dux Lenoxiæ*, Honorificentissimus *Suffolciæ comes*, Illustrissimus iuxtaq; sapientissimus *celeberrimæ Academiæ Cantabrigiensis Cancellarius, Cecilius Comes Sarisburiensis*, reliquûsq; splendidus Comitum (quos imitio nominasse satis esto) Nobiliumq; ordo, *Magistrorum in Artibus* titulo insignibusq; indui, *& ad* [d] *obseruãda statuta, priuilegia, cõsuetudines, & libertates Oxoniensis Academiæ iuramento* obstringi, & [e] supplices

d *Forma iuramenti.*

e *Forma gratiæ petendæ*

Supplicat venetabili Convocationi Magistrorum regentium & non regentium &c.

lices ambiunt, & honorificè petiuntur. Nec levis momenti erat ſpectaculum, tot viros principes, quorum plerorumq; latera baltheorum accinctui capita galearum tegmini eorum virtus, aut fortuna formauerat, Academico jam indumento, pileiſq; quadratis in literatorum ſenatu conſidentes, & Academiæ tum occurrentia negotia ſuis (pro more) ſuffragijs tractantes contueri.

Academici autem, qui hinc vſq; quicquid aut dictum erat, aut factum, ad teretem illam & magni Arbitri eruditam auram omnia limaſſent, vt etiam hominum minùs eruditorum, & imprimis illuſtrium fœminarum auriculis aliquid darent, quales non tot *Phœbes* noſtræ fulgentes ſtellas, fuiſſe aliquas non poterant non ſuſpicari, in *Sydnei* noſtri, *Chauceriq;* ſcriptis frequentiores, quã *Plauti* aut *Ariſtotelis* (nec enim omnes aut *Arabellæ* ſunt aut *Luciæ*) hoc tempus maximè judicarunt oportunum, quo Sacram *Annæ* Clementiam & cum *Henrico* Principe totam Aulici Gynæcæi pulchritudinem demulcerent, idq; avena, non patria modò, ſed & paſtorali, qua ARCADIAM RESTAVRATAM, *Iſiacorum Arcadum* lectiſſimi

simi cecinerunt, vnòq; opere, Principum, omniumq; spectantium animos immensa, & vltra fidem affecerunt voluptate, simulq; patrios ludiones, etsi exercitatissimos, quantum intersit inter scenam mercenariam, & eruditam docuerunt. Arduum dicere Actionis major gloria, an Poeseos. Quantum autem omnium aures fascinauerit, non arduum judicare. Alteram enim & Aula, & Academia loquitur; ac ita loquitur, quasi loqui nunquam satis posset: alteram res ipsa loquitur, libérq; omnium iam manibus attritus:

Nostra nec erubuit Sylvas habitare Thalia;

Vertim *Danielis* nostri syluas, quibus nec vrbes ipsas censebis magis vrbanas. Cuius ex ingenij arca dia ARCADIA NOSTRA, ceteraq; laudatissima scripta tanta cum laude evolarunt, quantam alumno suo Academia nostra gratulatur meritò; eôq; magis, quòd is saltem sit, cuius exemplo, Poetæ coetanei, posteriq; omnes ediscant tantum non esse inter ingeniorum acumina, & paginarum castitates bellum, quin possint, debeantque se mutuò amplecti.

Si quis Anglicè non callens, *Arcadia*

die huius velit ex me conditionem cognoscere, recolligat ipse, quicquid fraude, aut philtro fieri possit, quo amores mali conglutinentur; quicquid aut calumnijs, aut Zelotypijs quo amores etiam boni veriq; diffluantur; quicquid, quo adolescentuli ad libidinem; virgines ad mentium, ornatusq; lasciuiam ardescant, & intelligat quantum ganeonum lasciuorum, lenarumq; corruptricium facibus conflagrauit. *Arcadum* respublica. Istis manum medicam adhibere studuerunt, qui pristinam *Arcadiæ* integritatem per ætatem reminisci, per virtutem exoptare, per authoritatem, prudentiamq; restituere, optimè poterant: istisq; malis artibus aliæ non minus pernicioſæ *Arcadiam* invaserant, sacrorum rituum corruptelæ nefariæ, prætextu pietatis; Circulatorum fumosæ impostura honorifico medicorum nomine; habituq; simulato; Leguleiorum deniq; fæces decem drachmariæ, qui inter opiliones se jactant Iurisperitos, inter Iurisperitos ne opilionum quidem æstimatione habētur. Quorum dum omnium fuci repræsentantur, pristinaq; Reipublicæ forma revocata, legibus pœnisq; expiantur, si Reginæ,

Principi

Principi, ceteriſq; ſpectatoribus vniverſis mirificè dixero placuiſſe, id tantum dixero, quod Regina, Princeps, & vniverſi ſpectatores & magnificorum applauſu præ ſe tulerunt, & etiam dum mirifica laude conteſtantur.

Quanquam quid fluxis iſtis voluptum gloriæq; nominibus fatuus capior? quum nemini ſit iniucundius infortunia pati, quam felicitatis apicem expertō: aut quid *Arcadiæ Tropica* gloriam reſtitutam iactem, quum Iſiacę Arcadię gloriam merámq; voluptatem abeuntem contueor? Sic omnia humana poſita ſunt in theatro, Comœdiâq; lætitiæ noſtræ finitâ breviuſculâ, Tragœdia, luctuſq; imminens Academiam expectorat. Si enim *f* majores noſtri meritò lugendi cenſuerunt, planctúq; cœlum concutere, quum Solis, Lunævè vultum lucidum evaneſcentem cernerent: quātus nos manet dolor, qui Sole, Cynthiâq; & Iulio lucido ſydere, nobis ſplendoris ſui præſentiam jamjamq; ſubducturis, eò gravioribus tenebris obruemur, quò præcellentiori luce circumfulſimus? At ſiſtite deliciæ noſtræ, ſiſtite, quam diu nos non ingratos, non inofficioſos hoſpites cenſueritis,

f Germanis hoc eſſe ſolēne narrat Boemus.

ritis, tam autem diu si manseritis, hîc æternùm manebitis. Sed qui istos majorum luctus pij imitamur, eorum superstitionem frustrà experimur? Lux enim nostra planctibus revocari non potest, nec quicquam nobis restat, nisi, vt quam lucem ipsi videre non possumus, eandem alijs, qui possunt invideamus.

Serenitas ergo Regia jam abitura, magnifico Academiæ Cancellario advocato, verbis clementissimis quàm omnia quatriduo hoc Academiæ officia acceptissima fuerint, indicabat, quantâq; eam amoris propensione amplexura semper sit. Quod, vt etiam Academici intelligerent, statuisse se aliquod propitiæ, gratiosæq; voluntatis suæ indicium apud ipsos eorumq; posteros relinquere: dictóque, magnificam, veréq; Regiam donationem manu tradit, quâ ad Professoris in Theologia Regij dignitatem omni ævo augendam, ornandamq; illustrem fecit accessionem, concesso prædio Ecclesiastico *Ewelmensi*, & Præbendâ etiam in Ecclesia *Ædis Christi*, perpetuò annexâ. Quæ vtraq; Regio etiam stabilita diplomate (id enim virtute doctrinâq; spectatissimus Eques *D. Thomas Lake*, de

de Academia nostra multis nominibus optimè meritus, curaverat expediendum) Cancellarius Regem abeuntem insecutus, Sacræ Maiestatis jussu, pereximio tradidit Procancellario; qui tum, cum reliquo insignissimo purpuratorum ordine, alijsq; viris ex Academia lectissimis convenerat, vt publicas Academiæ nomine, eásq; immortales gratias Regi jam discessuro agerent pro ineffabili clementia, quâ Academiam anteà impensissimè devotam, recentibus jam beneficijs æternùm devinxerat. Quibus vniversis longo ordine, quasi beneficiorũ pondere ad terram depressis eóq; humiliùs toto corpore prostratis, quo possint tantæ beneficentiæ altitudinem suppliciùs suspicere, interpretem voti publici egit *Hammerus*, alter è Clarissimis Academiæ Procuratoribus, qui pressâ, politâq; oratione immensa illa, & planè divina bonitatis Regiæ Τεκμήρια celebravit: *Quòd Augustissimus Rex celebritatem Oxoniæ (quã, vt Atticam, nonnulli, τῆς ἐλλάδος ἐλλάδα, sic Academiam Academiarum pridiè appellaverat,) & iam tum magnificentiâ verè Regiâ in Academiam effusâ, & quatriduanâ præsentiâ suâ, quasi aureæ tubæ sonitu, per vniversos orbis Christiani angulos*

gulos illustrem, mirabilémque effecerit. Quorum magnitudine beneficiorum, egregiè se felices Academici meritò iudicarent, quibus talis tantusq; bonarum Artium Patronus, & literariæ gloriæ quasi alter Atlas divinitus obtigerit.

Nam spes, & ratio studiorum in
Cæsare tantùm est,
Solus qui tristes hac tempestate
Camœnas.
Respexit.--

Sed quò maior iam fuerit aut benignitas Regia, aut felicitas Academica, eò magis rubore suffundi virgineas Musarum genas; Ieq; animis discrutiari, quum excussis omnibus facultatibus, in semetipsis reperirent nihil, quod tantæ, tamq; Præcellenti Maiestati pro tanto meritorum cumulo pie rependerent. Sed frustrà angi se, quod rependendo non sint, quū tanta munera nec prædicando satis sint, at nec cogitando, se tamen æternâ cum veneratione, & cogitaturas, & prædicaturas, ut & posteri, & exteri mirabundi intelligant. Regem, cumq; totius Europæ potentissimum, ac, quod magis est, literatissimum, quòdq; hæc omnia superat, religiosissimum, (veluti pium Æneã,

--Cui juxtà aderat Lavinia cõjux,
Pulcher & Ascanius, nostræ spes altera gentis.)

tes Regni sui partibus cum incredibili civi-

um lætitia peregratis, nihil tamen libentius quàm Academiam vidisse;

Nec vidisse semel satis est, juvat vsq; morari,

& ibidem in publicam literarum palæstrã prodijsse, audiuisse attentè, & quod maximum est, in maxima hominum doctissimorum corona, tam sapienter, & acutè, tam Atticè & venustè locutum fuisse, vt non aliam ob causam discipulos Deorum, non alios quàm Reges ab Homero dictos fuisse iudicandum, quàm quòd sine diuino aliquo præsentis numinis afflatu nemo extiterit. Ac vt tanta Maiestatis splendor, qui in maximis istis maximè fulsit, Academiæ vel in minimis deesse videretur, tam candidè libenterq; etiam ludis, & ludicris interfuisse, vt qui (quod olim Plinius de suo Vespasiano) semper soleret nostras esse aliquid putare nugas. Quibus nominibus, Musæ, iam tum ad sacratissimos pedes Regias supplices deuolutæ, & prostratæ, primùm humillimè orare, vt quam nihil in se habeat Academia, quod Regiæ Celsitudini non sit consecratum, id omne, quantulumcunq; demum fuerit, vel sua gratiâ, & eò quòd suum sit, æqui, bonique consulerent. Deinde & Regi gratias immortales agere, & immortali Deo pro salute Regiæ preces ardentissimas effundere, vt vbicunq; sit, ibi salvus sit, per quem nos omnes, vbicunq;

cunq; sumus, salui sumus, & beati, eò tamen beatiores futuri, quo frequentius beatissimam Regem hanc reducem contueamur, támque diu beatas fore Academiam, Ecclesiam, Rémq; publicam, quamdiu

Hæc domus æneæ cunctis dominabiter oris.

Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.

Quibus succinctè discursis (nam nec opus erat multis verborum contestationibus, ad faciendam Regi fidem illius gratitudinis, quam anteà perspectissimam, indubitatissimamq; habuisset) benignissimus Rex, vt Regio amoris symbolo, priori beneficentiæ suæ extremam quasi manum discessurus apponeret, Procancellario illustri, reliquisq;, quos dixi, clarissimis Academicis, honorificum Regiæ manus osculum impertit; vnàque pro sua singulari in eos indulgentia, monet, jubetq; ne molestiam susciperent vlq; ad limites Academiæ (quod ex officio vbivis fieri solitum est) ipsum deducendi, sed in magna area Collegij, vbi tum erat, ipsum cum Regina, Principéq; filio, Deo, itineriq; permitterent. Itaq; quem præsentiâ corporu obsequiolâ comitati non datur, eum, quàm diu

datur, oculis, vocisque acclamationibus sequuntur: quumq; id non datur, gratitudine pro beneficijs, precibus pro salute, plantibus pro discessu præpropero votis pro reditu festinato prosequuntur.

FINIS

TAmetsi potentissimi Regis discussu, mirabilem felicitatis, & quasi capitis diminutionem passa sibi videretur Academia; erat tamen causa solatij æquissima quòd omnibus iudicijs intellexerant officij sui studia studijq; officia omnia, omnibus acceptissima fuisse. Neq; certe in minimis ducebant quòd magnificentissimi Cancellarij expectationi, cujus voluntati post Principes imprimis satis facere satagebant, ita cumulate respondissent, vt eius amplitudinem in solita lætitia perfundere viderentur. Quod cum ipsius Magnificentiæ, non modò ante discessum, numerum plurimorum donatione, sed literis etiam ad Eximium Procancellarium Dominum *Georgium Abbot* mox missis indicare placuisset, censui etiam æquissimum, in testificationem singularis illius Amoris, quo Academiam semper impensè amplexus est, literarum ipsarum exemplar subiungere.

EN tibi (Domine Procancellarie) vna cum hisce ad te literis, alias ad Illustrem Equitem Dominum Henricum Leaum transmittendas, quibus curavi Cervos, eosq; notæ præstantioris tradendos, quo loco atq; tempore, ipse, simulq; reliqui Generosi Tragœdiarum Comœdiarumq; Actores commodissimum censebitis. Pergratum mihi feceris, si ab iis meo nomine impetraris vt illud, quicquid sit munusculi, vta cum octoginta aureis, quos Dispensatori meo statim vt numeret, in mandatis dedi, æqui consulant, & ingenuæ Genialis Conviuij hilaritati, meâ causa impendant. Quorum opera cum mente recolo quam intimo (olatio perfundebantur, Serenissime maiestatis, Reginæ, Principis, Nobilitatis vniuersæ, omniumq; auditorum pectora, fateor equidem, me nec satis posse dicere ad eorum laudem, nec mihi satis facere in meo erga eos amore, propter eorum benemerita singularia. Eos tamen impense rogatos velim, vt ingentis lætitiæ meæ testimonium hoc non ingens ita accipiantq; interpretentur, vt vna intelligant, non posse me non collętari in tanta tamq; communi lætitia eorum reliquorumq; Academicorum, quorum omnium gymnasmata, studiaq; optatissimo successu fructus tam felices, tam honorificos, nobilissimæ isti Academiæ pepererunt.

Nec

Nec aliud iam deinceps in votis quotidianis, precibus potius habiturus sum, quam vt istiusmodi fortunatissimo successu, nobilissima ista Academia & vniuersim & vnitim æternum potiatur: Cui quicquam sum, me totum voveo, meosq; conatus omnes religiose despondeo, quibus aut publicæ eius vtilitati inservire, aut eiusdem gloriam promovere potero. Deniq; me summè felicem duco, cui tantus honor obtigit, vt vester audiam Cancellarius, quoq; hoc tempore tam felicibus astris mihi te Procancellarium delegerim, cuius de benemeritis, quia satis dicere non possim, dicam nihil. Vale.

Thomas Dorset.
Cancell. Oxon.

ORATIO FVNEBRIS

habita in Templo beatæ Mariæ Oxon.

AbISAACO WAKE,

PVBLICO ACAdemiæ Oratore, Maij 25. An. 1607. quum mœsti Oxonienses, pijs manibus IOHANNIS RAINOLDI parentarent.

OXONIÆ,
Excudebat Iohannes Lichfield Academiæ Typographus,
1627.

ORATIO

EVNEBRIS

habita in Tem-

plo beatæ Vir-

ginis

PVBLICO NCA-

demiæ Oratore, Illu-

strissimo Dominico,

pio manibus Io-

annis Ba-

ORATIO
FVNEBRIS.

Vàm fragilis sit, & incerta humanæ vitæ conditio quam somno aut fabulæ similis, vtinam, (Viri Ornatissimi & mœsti vndequaq; Academici) modò superi voluissent, alium-de potius, quàm ex præsenti spectaculo disceremus. Scilicet senescentis quidem mundi, & ad occasum jam præcipitantis, satis multa superq; vidimus indicia; Intemperiem cœli; malignitatem stellarum; ventorum turbines, subitum Cataclysmos, maris furores non ante cognitos, quæ dira omnia, pias mentes, horrere ruentis cœli, & expirantis Naturæ perterrefaciunt. At *Musas* tamen æternas, & reliquis labentibus

omnibus

omnibus, *Artes* immortales fore, neſcio quo modo nobis ipſis adblandientes, facilè credidimus, donec magnus hic literarum Atlas, quocum literæ ipſæ ſanctiores naturæ certè videntur, ſi non occumbere, ſuo nos fato docuit, ſpem etiam illam vanam & inanem eſſe. Cujus ſortem beatam, pietate & moribus dignam ſuaviſſimis, abſit, vt flebilibus quiſquam deploret nenijs, cum nihil ſit quod illi vlterius optare vel avidiſſimus poſſit, niſi illam *Virginij Rufi* felicitatem, cui, tanquam cumulus acceſſit in funere laudator *Cornelius Tacitus*. Mihi verò (*Academici*) veſtrâ hanc intuenti, aliàs gratam & jucundam, nunc autem, pro occaſionis ratione, flebilem & triſtem frequentiam, ita in mentem veniunt illæ Regis *Xerxis* lacrymæ, quas ad conſpectum exercitus

exercitus numerosi fudit, vt nõ possim quin intimis suspirem præcordijs, cum in pręsenti speculo, mortalitatis etiam vestrę videam imaginem. Quis enim est qui doctrinæ, sapientiæ, virtutis fiduciâ, spem vitæ in longinquum extendere ausit, cum difficiles Parcæ, & non exoranda numina, hunc tantum Orthodoxæ fidei Herculem, & Christianæ religionis Propugnatorẽ, nec matris *Academiæ* lacrymis, nec lugentis *Ecclesiæ* importunis precibus voluerint condonare. Certè si inęstimabiles illæ mentis opes & non interituræ animi divitiæ, ad corporis etiam firmitatem & vigorem aliquid facere, aut quomodocunq; derivari potuissent, vixisses *Rainolde*, nec tam ex voto tuo, qui cœlum voluisti, quàm ex nostro, qui te, vixisses ita, vt nunquam morereris, senesceres

nescires, ægrotares. Atqui magno humani generis dispendio, contrariâ ferè ratione vsu venire solet, vt quò magnificentius quis, & illustriùs divinis literarum & sapientiæ ornamentis animum excoluerit, eò citiùs, adeóq; etiam festinantiùs, & mens ipsa terrestris pertœsa domicilij sublimiora cogitet, & corpus itidem, omnia iam spiritu in nobili illo, sed tamen laborioso studiorum opere, exhausto plane & absumpto, fatiscat, ac deficiat. Quæ nimirùm res in causa fuit, vt tu *Rainolde*, tot secundis prelijs literarum omnium victor & triumphator, accisis tamen corporeis viribus, exhalares gloriosam animam, nosq; in luctu & orbitate mœrore confectos distitueres. Quid autem? Non telabentem tua plurima pietas, non virtus, non sanctitas, &

eru-

eruditio ad miraculum ingens servare potuit? Scilicet an quia nihil erat quod vltrà disceres, ideò vlteriùs ne vivere voluisti; An non dignus inter ceteros *Ficinus*, quem aliquando evolueres, qui de sanitate tuenda, & vitâ in æternum prorogandâ disserit? Satis vixisti tibi ipsi; esto: satis glorię tuæ, cui tamen supervivere non potuisses: At non Reipub. satis, quæ probitatis & virtutum omnium exemplar in te positum desiderat; Non Academiæ, quæ eruditionis jam extinctum requirit lumen; Non deniq, communi Religionis causæ, quæ te orbata Duce, in medio procellosi maris non sine naufragij periculo fluctuat. Equidem quòd alter fortiórq; *Cocles* ingruentes hostium insensissimorum catervas princeps repulisti; quòd exciso, cui institeras, ponte subli-

cio

cio, tamen salvo scuto desiluisti, rem absque præclarissimè gestam nemo negaverit: rejecisti siquidem perduelles, at verò nondum soluta est obsidio; esto enim quod Romanam *Idolomaniam* detractâ larvâ, Dei hominumq; odio exposuisti, quòd jugulum *Antichristiani* monstri incepisti petere; quod per *Harti* latera ipsum *Cor* Papismi tranfixisti. At *Sanderus* tamen adhuc intactus, nisi quòd Dei vindicem dextram, in montibus Hibernicis, erro profugus expertus est, *Bellarminus* non satis fractus; *Baronij* nec omnes detectæ fraudes; vt taceam nova, quæ huic Hydræ quotidie repullulant capita. His tantis in negotijs quomodo vacabat tibi mori? Cum tam ingens messis & operarij sint tam pauci? Tui similes tam nulli? Cum undiq; superstitio instar maris nostri

ſtri *Virgivij* novis exundet fluctibus?

Eſt iſta lamentantis *Eccleſiæ* lugubris vox, quam ex acerbiſſimi doloris ſenſu tam flebiliter ſonat, ac ſi ipſa etiam cum Rainoldo animam egiſſe videretur. At matris *Academiæ* mœſtiorem adhuc vultum, & triſtiorem faciem (ſi triſtior cogitari poſſit) quis demum *Timanthes* exprimendo erit?

Hic veniunt lacryma, Niobe quibus obruta mater.

Nihil hæc niſi *Rainoldum* cogitat, *Rainoldum* videt, *Rainoldum* vanis imaginibus audit alloquitur, tenet. Et certè (*Academici*) licet felicissimæ huic noſtræ parenti tanta ſit præſenti hoc ſeculo, tamq; numeroſa doctiſſimorum virorum ſoboles, vt ſuam ſibi potiùs gratulari fœcunditatem, quàm præſentem debuerit orbitatem lugere,

gere, eamq; Matris *Brasidæ* vocem nunc certè, si vnquam, vsurpare, *vir bonus est Brasidas & fortis, sed habet multos Sparta similes*: non possum tamen, quin ejusdem pijs lacrymis, & justo huic dolori veniam facilem concedam, cum cogitem *Reinoldum* amisisse, qui (absit dicto invidia) reliquis suis filijs tantùm præluxit, linguarum diversissimarum excellenti peritiâ & artium scientiarumq; omnium perfectâ panoplià, vt supra humani ingenij fastigium positus videretur, natusque in quo omnes Musæ suas omnes vires experirentur. Nemini (Auditores) detraho, dum debita *Reinoldo* persoluo: nec hujus justis, scio, laudibus invidebunt vel patres reverendi, qui domi hanc nostram Oxoniam suâ exornant gravitate, doctrinâ, pietate; vel Illustrissimi illi pietatis

tis & literarum *Antistites*, qui ad clavum Ecclesiæ adsidentes, prudentiæ, sanctitatis, & eruditionis stupenda specimina vniverso orbi exhibent Christiano. Quibus maximis *Academiæ* & *Ecclesiæ* luminibus, si quis *Reinoldum* hunc nostrum tantò meritis minorem judicet, quantò publicâ dignitate, & forensi minùs resplenduit fulgore, recognoscat is velim illud *Augustini*, Episcoporum maximi, de *Divo Hieronymo* eulogium; *Quantumvis Episcopus Presbytero superior, at Hieronymus tamen Presbyter etiam Augustino Episcopo maior*: & vtvt alij in hoc nostro mirentur scientiam, humilitatem, abstinentiam incredibilem, quæ omnia in illo (fides numinum!) plus quam mira fuerunt; ego tamen hoc vnum stupeo, miraborq; semper, gloriam illum & honorem calcare

care potuisse. De quo tametsi illud non dixero, quod de *Luthero Illyricus* & *Wigandus*, quē *Germanicum Prophetam* appellārunt; tamen cum nihil sit vel in *Lutheri*, vel *Calvini*, vel *Bezæ* aut *Whitakeri* laudibus, quod non suo merito sibi ipsi *Raimoldus* vendicet, gratulabor ego quidem huic nostræ *Patriæ* quòd eduxerit, matri Academię quòd educaverit, & feraciſſimo illi bonorum ingeniorum *Collegio*, quòd lactaverit *Raimoldum* quem (vt cum domesticis suis illum comparem) virtutis, pietatis, & eruditionis commēdatio supra ipsum *Juellum*, *Wottonum*, *Virum*, *Hookerum* elevavit, supraq; *Polum*.

Eat autem [a] *Westonus* impurus & impudicus rabula; etuctet quæ volet covitia, dicat ingenij tarditatem, dicat simulatos *Raimoldi* morbos: plumbei

[a] Weston in scurrili præfatione ad libros de Triplici hominis officio.

plumbei scilicet fuimus, (*Academici*) qui tam habetis ingenium suspeximus, deliri, qui ægrotâsse credidimus, quem (proh dolor) mortuum videmus. Quanquam nec *Westonus* ipse [b] *Patrui* sui, quem ita iactat, & [c] morum, & fugæ turpitudine similis, cum Principes Academiæ nostræ ita lacesseret, vt etiam qui matrimonium cõtraxissent, quasi scelleratos homines nominatim perstringeret habuit vel vnum aliquod factum, quod in omni vita sanctissimi huius viri reprehenderet.

b. Doctoris *Westoni*, qui è Collegio hic nostro Lincoln. propter infamem libidinem expulsus.

c Nam & ejusdem nefandi flagitii, *Duacensis* hic etiam *Professor* reus, (ni fama lemper mendax) deprehenditur.

At ille longiùs aberat: quid qui steterunt propiùs? Amârunt omnes hominem, amârunt mores & integritatem. Quòd si obstinata severitas, & invictus adversus gratiam animus, et vitio verti poterant, aut si quid aliud (quid autem potuit?)

sed si quid potuisset in eo improbari, næ crimen illud honestum citiùs, quàm *Rainoldus* turpis efficeretur. Sed ille nunc feliciter agit inter Angelos, nos verò qui magnos optimi sapientissimique viri manes veneramur, beatam tum demùm *Oxoniam* pronuntiare non dubitabimus, quando parem simillémq; in huius locum surrogaverit. Habeamus enim, quos summa eloquentia, infinita lectio, sublimitas ingenii, iudicii gravitas, virtus, humanitas, candor, eaq; omnia scriptis egregiè monumentis, quam maximè commendent, *Rainoldum* certè non habebimus. At quid ipsum loquor? Cuius tanti viri, iam nunc Sepulchrum, heu tantillis inhiat reliquiis, quas hodiè postremùm cernimus, salutamus, valere iubemus,

Posterrumum

Posterrimum ([illegible]
stea non vnquam ampli[illegible]
Mihi verò vt (quod vnicum
restat(efferri iubeam,
--Non lingua valet, non corpore nota
Sufficiunt vires, nec vox, nec verba sequuntur.
Itaq; Sophoclea mutuabor,
—agesis, quisquis amicus
Ades hic præsens, propera, curre,
Impende viro summo officium.
Ac nemo quidem, queis loquor, horum
Rainoldo fuit melior vir.

FINIS.

REX PLATONICVS

SIVE,

DE POTENTISSIMI PRINCIPIS IACOBI BRITANNIARVM Regis, ad illustrissimam Academiam Oxoniensem, aduentu, Aug. 27. An. 1605.

NARRATIO

AB ISAACO WAKE PVBLICO Academiæ ejusdem Oratore, *tunc temporis conscripta, nunc demum in lucem edita, multis in locis auctior & emendatior.*

Editio Quarta.

OXONIÆ,
Excudebat Iohannes Lichfield
Academiæ Typographus,
1627.

SERENISSIMO PRINCIPI,

Ac Domino D.

HENRICO

REGNORVM BRITANNIÆ MAGNÆ, FRANCIÆ, ET HIBERNIÆ HÆREDI.

NON est (Excellentissime *Princeps Henrice*) eadem Lycei lima atq; Fori, nó idé eruditorũ atq; plebis judicium; horum sensus fortunę tuę splẽdore trahũtur, illorum mentes virtutum tuarũ luminib⁹ oblectãtur; ab vtrisq; (quantum ætatula tua feret) felicissimus judicaris: ab alteris, quòd tanto parente, & ad tantã

ſpẽ fortunę natus ſis; ab alteris, quòd parente tali natus ſis, & ad taliũ inſolentiũ in Regibus virtutum ideam, & naturâ accómodatus ſis, & diſciplinâ inſtitut⁹. Aliàs enim quãtilli quęſo eſſet, quòd tali natus ſis, niſi & talis? Taliſq; vt ſis, quę vſpiã poſſunt eſſe pręſtãtiora ſubſidia, quàm quibus ſuavitas Iuventæ tuæ ad omnem maturitatis perfectionẽ provocatur? pręſertim quum jã nõ ꝓpus ſit *Philippo* noſtro lętari, quòd *Ariſtotelis* tẽpore tuo ſter nat⁹ ſis *Alexander*, ſed tuæ Excellentiæ idẽ ſit & *Philippus*, & *Ariſtoteles*, Potentiſſim⁹ Pater, & ſapientiſſimus pręceptor. Cujus ſive præceptis ad Regni, ſive exemplis ad tui ipſius moderationem cõformere, neceſſe eſt è tã mirabilis Magiſtri Schola mirabile quid, omniumq; amoribus digniſſimum evadas. Quinimo, qui indolem tuam non leviter perſpeximus; quum

hic

hîc inter *Oxonienſium* Muſarũ alumnos cenſeri libenter paſſus fis, cumq; in celeberrimo toti⁹ orbis conventu paternæ eruditioni exultabundus applaudéres, videmur nobis non tam optare debere, qualem te habere velimus, ſed jam habere qualem optarem⁹. Habebimus certè quidem, ſi prout prima fundamenta jacta ſunt, ita cetera eruditionis, pietatis, virtutumq; tuarum tecta (quibus ſolis tectus, tutúſq; eſſe poſſis) ſuperſtruantur ſiq; Magni exemplaris beatis veſtigijs inſiſteris, cujus ego eruditionis veſtigia hic aliquot, non tam calamo adornare (quod non poſſim) quam (quod debeam) animo adorare ſtatui. Vereor tamen ne ſacros illos Tripodas profano calamo violárim, dúmque illam Regij eloqui, igneam vim atq; haud imitabile lumen exprimere auſim, *Salmonei* illius,

qui *Iovis haud imitabile fulmen* imitari voluit, flagitium admiserim. Cuius offensę formidine perculsus, quid aliud agerem, quàm vt cum *Themistocle*, qui *Admetum Persarum* Regis filium vlnis gestabat, vt facilius patris alienati animum molliret, Excellentiæ tuæ patrocinium manibus, precibusq; apprehendam; vt qui non ignorem plus momenti habere dilectum tuum nomen, ad gratiam consequendam, quàm libellum meum (si peccantem, amore tantùm peccantem) ad offensam commovendam? Quòd si ab ista Regis optimi offensione immunis esse possim, de reliquorum supercilijs securus ero, qui aut chartas has jam editas arrodendo, sorices agunt, aut, quia non citiùs editas reprehendunt. Verum vt vtrisq; illis partim satisfaciam, etiam jam citiùs editas esse fateor, quàm

quàm volui, vtpote quas non omninò editas esse malui, quam intempestiuè. Sed quum intelligerem non deesse ex eorum numero, quorum authoritati refragari lubens nolim, qui Commentationem hanc, (quam sesquianno ab hinc descripseram) ex cœca nocte, quâ sepultâ latere volui, in lucem erutam pervellent, ne fortè quis alius, cui rei veritas minùs perspecta esse potuit, id ipsum aliquando auderet; statui tandem æstimationi potiùs meæ, quàm eorum votis deesse, præsertim quum nihil ipse in votis potiùs habeã, quàm vt æternæ *Iacobi* memoriæ (licèt indignus) aram ponerem, & *Henrici* spei Felicitatiq; votivam hanc tabulam consecrarem. *Oxoniæ*;

E Collegio Merton. 13. Cal. Iul.

Excellentiæ vestræ
devotissimus,

Servus

ISAACVS WAKE.

REX PLATONICVS, SIVE *MVSÆ REGNANTES.*

ET A sunt multorũ hominũ ingenia, vt nullũ satis dignum historiâ argumentum existiment, præter res bello gestas imperatorum & Rerum-publicarum; quibus terrarum domini credunt se æque propriè ad Maiestatem Diuinã accedere gloriâ, ac ab eâ recedunt longè bonitate. Quam eorum sententiam, si quis eâ comprobare velit ratione, quod armorum scilicet studiosus & virtutis bellicę admirator multum se delectari profiteatur cognatâ sibi virtute, rectiùs fortassis eius possit excusari effectus, quàm iudicium probari. Nam vt in depingendo vultu, tum demum optimè facies exprimitur, cum sit ab omni per-

turbatione immunis; ita Principum & Reipublicarum habitus mutò commodius ex rebus ciuilibus, quàm tumultuosis belli motibus colligûtur. Illæ autem narrationes dignissimę videntur, quę breui & succinctà rerum memorabilium commemoratione, temporum etiam, & locorum conditionem, in quibus gestę sunt, ita ponant ob oculos, vt ex cognitione earum rerum quibus præsentes fruimur, aliqua aut vtilitas, aut oblectatio etiam ad absentes redundet. Cuius generis historiolam scripturus, de illo omnium sermonibus celebrato Quatriduo, quo *Potentissimus Iacobus Britanniarum Monarcha*, vna cum Regina ANNA Sereniſſimâ cõsorte, HENRICO Filio primogenito, Principe iuuentutis, & omni ferè totius regni Nobilitate *Oxoniæ* commorabatur, rem facturum me confido, hominibus pariter Trãsmarinis atq; nostris valde gratam. Illis quòd in orbis Christiani [a] præcipuis quatuor Academijs, quum *Oxonienſem* [b] secundum locum obtinere sciant, nec tamen eam perinde forsan habeant notam, ac Parisios (splendidam illam *Oxoniæ* propaginem) aut Salamantinam, & Bononiam in Continente sitas; verisimile omnino

[a] Decret. Conc. Vien. ann. 1311. Et Epigraph. in Vatican. Hiu verbis. Heb. Chald. Arab. Græc. Linguæ ſtudium propagandæ fidei ergo in nobiliſſimis 4 Europæ Acad. inſtituitur. Vide Ang. Roch. p. 214.

[b] Clement de Magiſtris Pariſ. Oxon. Bonon. Salamant. Vniuerſitas Oxon. Sibol. Eccleſiæ ſecundæ, imo Eccleſiæ fundamentum Mat. Pariſ. ad. an. 1257.

omnino sit, etiam huius rationem, consuetudines, adeòq; statum omnem non illubenter cognituros. His, quòd quæ secundissimo tumore delata acceperunt, ea certiùs intelligere cupiunt, vtpote quibus nihil possit esse iucundius, quam vt intelligant, quantę ipsi participes sint felicitatis, quòd Rege, vt omnium optimo sanctissimoq; ita eruditissimo, sapientissimóq; fruuntur.

Et à primo quidem in Regnum hoc adventu ardor quidam *Maiestatem Regiam* habebat nostrum hoc c *Bellositum* videndi, de quo fama (*quæ non semper errat sed aliquando eligit*) præclara multa ac splendida iam multò antè nuntiaverat. Sed & maiora fuerunt Imperii tum recentis negotia, quàm quæ primá Æstate Illum huic oblectamento vacare sinerent, & ingens etiam, peste passim grassante trepidatio, quæ triumphos omnes intempestivos reddidit: *Woodstochiæ* tamen eo ipso tempore per Eximium virum D. *Georgium Abbot* eo anno procancellarium, Doctoresq; Venerabiles aliquot, & Procuratores, Academiæ nomine salutatus, & sacris Biblijs tanquam amoris maximi exigno donatus indicio (quamquam quod isto vnquam maius donum humano

c *Illud olim Oxoniæ nomen ob situs amœnitatem Hist. Oxon. Ptolomæo Caleua dicta, eodem planè sensu vnde multi Oxonienses calevij dicti vt balenus de Ca[illegible] vovate qui vixit sub Arvirago circ[illegible] ann. 40 à Christo passo & Gualterus Calevius Oxoniensis Archidia[illegible] nus postea [illegible] piscopus [illegible] on ann. 11[illegible] & alij.*

mano generi datum est ab immortali deo?) tantâ eos omnes accepit voluptate, clementiâ, benignitate, vt accenderit in nobis desiderium vlteriùs testandi devotissimas illi nostras voluntates, cui amoris & pietatis prima hæc officia tam grata fuisse comperissemus. Sequenti anno propiùs adhuc accessit, adeóq; ipsa Ciuitatis nostræ suburbia, nullo tamen
1604. interpellatus gratulationis officio, pertransiit. Quid enim? etsi diuinâ benignitate Academia semper ita intacta, vt studiosorum nemo quisquam pestilenti afflatu decubuerit, intùs tamen inter Ciues adhuc manserant reliquiæ luis virulentæ sic vt Regi salutem coram precari non potuerimus sine salutis suæ periculo, nec esse pij sine impietate. Quamobrem consulto ab eius conspectu, nobis præ omnibus optatissimo, abstinuimus, ne importuna amoris testificatio, eo tempore, majus odio scelus videretur intraq; eos religiosè nos continuimus parietes qui ipsi quidé Regi obuiam prodire quodammodo gestiebant. Nostrum autem dolorem maximum adaugebat Serenissimi Regis conspectum intrandi, (si tutò potuisset) desiderium, qui & in transitu, multa de Academia, de Collegijs multa cogitabat:

tabat; & a Colle ad orientalem ferè plagam Ciuitatis sito, quingentis ab vrbe passibus tanquam ad delicias suas a tergo relictas crebrò solicitéq; respexit, & oculo amorem indicavit 1605
Felitiores autem fuere isti, qui nobis æstate sequenti illuxerunt dies, in quibus ingratus ille hospes, qui diu intra mœnia sævierat, Hospitemque multò gratissimum excluserat divinâ providentiâ pulsus exulauit, nullâ contagionis scintillulâ remanere. Postquam ergò propitiâ Numinis benignitate pristina civibus salus, aeri salubritas, cœlo & solo nostro amœnitas restituta fuerat, Regiq; post pacem cum vniverso Orbe Christiano felicissimè sancitam, aliquod à grandioribus Regni negotijs otium concessum, nihil videbatur desiderari, quo minùs & serenissima Maiestas desiderij sui, & Academici omnes votorum sæpiùs ante hac ardentissimè nuncupatorum tandem aliquando essent compotes. Quibus rebus ita suavitèr conspirantibus, ab illustrissimo Satrapâ *Sackvillio, Comite Dorcestensi*, eodemq; & Archithesaurario Regni & Regi à Sacris Concilijs, & Magnifico Cancellario nostro, (qui supremus est Academiæ perpetuusq; Magistratus) Regi-

ana

am Maiestatem brevi adfuturam literis præmonemur, quibus etiam vnanimem omnium curam, & diligentiam in apparandis omnibus, quæ tantę Maiestati excipiendę opportuna censerentur, flagitabat.

Novit enim Dynasta summè prudens, meritóq; sacro Regis lateri semper adhærens, quam sublimis non Fortunæ modò, sed ingenij etiam Hospitem excepturi essemus: Iamq; aleam aut gloriæ, aut opprobrij Academiæ jaciendam esse, suasq; vnà in vtrovis fortunæ jactu partes forte primarias, cujus & in honoribus Academiæ, & amoribus partes essent primæ. Quare ne aut amori suo, aut honori Academiæ, aut quod præcipuum est Regis expectationi, (quibus nunquam defuit) jam deesset, adventus Regij tempore appropinquante, quarto antè die, Academiam, vt, quàm omnia comparata essent, præviseret, invisit Ita tamen vt honorifici obsequij (ad quod alias exhibendum Academici catervatim convolassent) nullum sibi publicum indicium exhiberi permiserit (nam & ideò vespere, atq; essedo obtecto invehitur) eò quòd adventante Sole, syderum etsi illustrium fulgorem cedere debere duxerit; dixeritq;. Ibi Eximij Procancella-

e *At nec privatum, ideoq; ne socij Collegij Novi (quod hospitiũ elegerat) extra fores occurreret, ingressus est Collegij portã. Non licet dictã quod ea nulli socio liceat exire.*

cancellarij sui (quo munere jam tertiò fungebatur. D. D. *Abbot* Collegij *Universitatis* dicti Præfectus, Cathedralisq; Ecclesiæ Wintoniensis Decanus) insigni cura prudentiáque omnia reperit optatò maturata. Hic enim adhibitis in consilium prudentissimis Academiæ optimatibus, qui in hunc finem solenni Academię decreto (pro more) [f] Delegati erant, postquam accuratâ indagine disquisivissent qui essent in singulis disciplinarum generibus doctrinâ ingenióq; maximè idonei, ea Prudentiæ Industriæq; laude omnia adparavit, quâ in singulorum postea laudibus aliquam partem sibi meritò vendicet. Cujus eò major erat solicitudo, quòd tantæ expectationis celebritas in ea tempora inciderit, quibus Musæ mutæ, & rostra publica, pro more [g] vacationum Academicarum (quasi Iustitio indicto) surdescerent. Cui solito temporis incommodo occurritur insolitæ industriæ subsidio, præterque hæc delecta Disputandi, Concionandi, Gratulandi munia, omnes etiam Professorum Regiorum, aliorumque quamplurimum (quæ *Pleno*, vt dicimus, [h] *Termino* consuetæ) curæ revocantur. Nec dissimilis in privatis Collegijs Præfectorum diligentia, qui

f *Ita dicuntur qui ad præcipua quęvis negotia à solenni Academicorum conventu deputari solent.*

g *Erat enim tum Vacatio Autumnalis quę vt maxima est è quatuor anni vacationibus, ita & in ea maxima est studiosorum infrequẽtia.*

h *Plenos Terminos appellamus tempora publicis in Acad. exercitijs celebrata, quæ in anno quolibet quatuor etiam sunt, et singulos terminos sua sequitur vacatio.*

qui nec sumptui ad ædificia exornanda, nec labori ad Principes, carminum orationumq; gratulationibus excipiendos, parci voluerunt.

Quæ dum parantur Serenissima interim Majestas Regia, (cui omnis hac in re mora videbatur longa) venatione & generosissimâ ferarum sylvestrium (quarum [i] vivarijs innumeris alias vna omnes Europæ regiones plurimum superamus) insectatione, tardi temporis fallit tædium. Iamq; post *Essexiæ, Huntingdoniæ, Bedfordiæ, Northamptoniæ* Provincias felici & gloriosa peragratione salutatas magnâ cum subditorum lætitia (quibus gens nulla Principes suos contuendi vspiam appetentior) tandem se ad aliquot dies *Woodstochiæ* reficit; quod oppidum sex passuum millibus ab Academiâ dissitum, non magis palatio illo [k] *Henrici* primi splendidissimo (qui etiam primus in Angliâ vivarium [l] saxo ibi spatiosissimum incinxit) aut *Henrici* secundi [m] Labyrinthe

i N. *Fieherbert, in Descript. Oxon. Rom. impres.* 1602. & *Cam. Brit. in Dobunis.*

k *In porta primaria Henricus* 7. *Fundator inscribitur rithmo Anglico in hunc sensum;* Septimus has celebras Henricus condidit ædes. *Sed ille frontispicium tantũ & ambitum exteriorem extruxit.*

l Hinc *J. Rossi error, qui hoc primum Angliæ vivarium esse scripsit, quum multo fuerint antiquiora, quamvis non saxeis muris incincta.*

m *Quo Rex delicias suas occultavit, Rex Iohannes,* Henrici a *filius illam in Cœnobio virginum de Godslow sepeliendam curavit, cum hoc Epitaph.* Hic jacet in tumba Rosa mundi non Rosamunda, Non redolet sed o-

rintho, ejusq; *Rosamundâ* amicâ celebre est; quam *Chauceri*, Maronis Isiaci natalitijs, & *Elizabethæ* Reginæ (æternum celebrandæ) n Innocentiâ, carceris hic Sororij contumelias patientis. Atqui jam mitior ibi Innocentiæ arbiter *Iacobus*, eô suis bonisq; omnibus dilectior, quò *Elizabethæ* Imperij, virtutis, Religionis studijs similior. Ibi Sereniss. Majestas dum se oblectat venatione, quum duos præ cæteris præstantiores Cervos longâq; persecutione lassos suâ manu confecisset, vt Oxonienses, de Rege jam tantùm cogitabundi intelligerent se illius esse memores, qui ipsorum oblitus non esset, cervos vtrósq; statim Oxoniam deferri jubet [illegible] Cancellario, Procancellario alterum donandum, tãquam non adventus modò ejus, sed Amoris etiam prænuntios. Iamq; ecce adest omnium desiderijs expectatus Augusti vicesimus septimus dies, Regis Augustissimi adventui jam ante præstitutus, nobis inter fastos perpetuò numerandus, in quo, ingenti cum lætitiâ Academici ad vnum omnes avidè expectant, quando o *Longus à Principe pulvis ve-*

la fuit, carceri hic inhumano traderetur. *Epigram. l. 10.*

set, quæ redolere solet, *Celebrisq; crux affixa, sic inscripta,* Qui meat hac, oret, signumq; salutis adoret, Vtq; tibi detur requies Rosamunda precetur

n *Epigraphē hanc* (tanquam Agnus) *merito vsurpavit virgo Regia, quum à Maria sorore tã regnante profecta proditionis criminatione, sed revera quia puritati Evangelicæ addi-*

o *Martial,*

nientem

sessoribus. Nec e. hic tam Collegiū, quàm olim ferè Academiam in Academiâ constituere præstituerat; eumq; in finem lectissimum totius Universitatis florem delibatum huc transtulit; nonnullos etiam *Cantabrigiæ*, vbi literis non infeliciter operam dederant; sed quum propter fortunarum inopiam, studijs persequendis pares non erant, Cardinalis supplicibus eorum precibus, & amicorum sollicitationibus permotus hic inter suos sedem subsidiumq; magnificè concessit. Quin aulam ingredimur? Turba adstantium impedit; perrumpimus, subamus, intùs sumus. Interiora Aulæ dubium ampliora sint loci spatio, an Fundatoris sumptu, an artificum solertia. Fenestræ octodecim opere picturato amplæ, & sublimes; Aulæ totius ambitus supernè,

k *Manill. 1.* k *Seu nitet ingenti stellarum balteus orbe,*

quasi continuis fascijs desculptorum artis Heraldicæ ancylium præfulgidus: laquearium pensilia triplicatis intervallis deaurata, omniúmq; emblematum varietate ruilántia. Ista (si alia hic spectacula non essent) satis essent spectaculo. Partem Aulæ superiorem occuparit Scena, cujus Proscenium molliter declive (quod actorum

storum egressui, quasi è monte descendentium, multum attulit dignitatis) in planitiem desinebat. Peripetasmata Scenicáq; habitacula, machinis ita artificiosè ad omnium locorum rerumq; varietatem apparata, vt non modò pro singulorum indicis spectaculorum, sed etiam pro Scenarum vnâ eâdemq; fabulâ diversitate subitò (ad stuporem omnium) compareret nova totius theatralis fabricæ facies. Machinæ, quibus ista omnia latè obtegebantur, tam artificiosa manu & suspensæ erant & depictæ vt morantibus quasi nubibus, vt eas a *Sole Britannico* statim ingressuro, aufugientes putares, ipsumq; cœlum videre crederes, nisi b *Cynthiam* & *Syderam* mox inferiùs fulgentia contuerere. Ab infimis Aulæ tabulatis vsq; ad summa laquearium fastigia cunei parietibus ingenti circuitu affiguntur; mediâ cavea thronus Augustalis cancellis cinctus Principibus erigitur quem vtrinq; Optimatum stationes communium: reliquum inter thronum et theatrum interstitium Heroinarum Gynæceum est paulò depressius. Regi Regináq; ingressis, vnà cum *Henrico* Principe (qui illuc à cœna essedo advectus est) incredibiliq; omnium

a *Iaco. Rege.*

b *Reginam Annam cum Heroinis.*

nium ordinum multitudine cuneos caveámq; occupante ſadeò vt ipſi ſpectatores eſſent ſpectaculo ſ ab ejuſdem Collegij Alumnis (qui et cothurno tragico et ſocco comico principes ſemper habebantur) *Vertumnus*, Comœdia facéta ad Principem exhilarandos exhibetur. In qua tres rivales *Pomonæ* amorem ambiunt. *Chetilus* poeta vanus, *Sylvanus* benè potus, et *Vertumnus*: hic multiformi illam fuco aucupatur; primò Piſcatorem, deinde Aulicum, tertiò militem induens, vt eam in amorem pelliciat: ſed hiſce doliis voti minimè compos, poſtremò Virum exuit, et Mulier mulierem aggreditur, illâq; ſub ſpecie mirabiles amores ſui apud *Pomonam* concitat: quo facto, ſeipſum prodit, et *Vertumnus* ipſe ipſâ potitur *Pomonâ*.

Cui fabulæ quum deeſſe nihil ingenuarum deliciarum quibus aut aures aut oculi deliniri cuperent (quod eruditi ex ipſo argumento conjectabunt, & ſi è velo, quod ſperatur, emerſerit, facilè intelligent) tum nihil Academicis, & Aulicis omnibus jucundius eſſe potuit, quàm quod in *Principum* pectora (vnde, propitio Deo, omnia noſtra gaudia promanant) lætitiæ rivulos viciſſim reflue-

re

re tam liquidis testimonijs animadverterent. Qui enim ingentes Regum molestias non intelligunt, ijs ingenia videntur valdè stupida; sed qui tantis molestijs sua solatia, & quasi avocamenta necessaria esse non intelligunt, eos nihil intelligere quivis intelligat. Illud autem, etsi fortuitum non tamen prætereundum, quòd cum columbæ aliquot (fabulâ sic exigente) è transcenna emitterentur,

(*Aspicis vt veniant ad candida tecta columbæ;*)

earum vna Reginam (pectus verè candidum, & columbinum) petijt, ejusq; cathedræ insedit, vt multos columbam aut arte fictam (vti illam Architæ) aut arte doctam, [k] vt illam Mahometis asseverantes audierim. Quid multis? omnia placebant omnibus, nisi qui aut non intelligerent, aut somnum potiùs quàm sales appeterent. Rex autem in serijs semper, jam etiam ludis vigil, postquam luculento mantuum applausu, vocisq; testificatione omnia comprobasset, quem deinde regina, Princeps q; ceteriq; subsequuntur, discedunt omnes, vt oculos (media enim nox erat) in crastinæ diei spectacula refocillarent.

[k] Quam Mahometes ex *aure sua grana tritici vestro excipere edoctam, postea auriculæ frequentius vestrum iniicientem, fingebat spiritum fuisse sanctũ qui ei esset à Deo nuncius, omniaq; ei insusurraret.*

Acta

ACTA SECVNDÆ DIEI.

POtentissimus Rex qui moram suam in Academiis Academicis exercitijs totam addixerat, vt Musæ se non modò Regem jam patronum habituras, quem antea habuissent alumnum, sed etiam cum *Iacobo* quasi in eodem imperij fastigio se collocatas intelligerent: sequenti aurorâ, quæ Theologicis disputationibus deputatur, ipsos Theologiæ Professores acceleratione penè antevertit. Ad Divæ *Mariæ* (quod Templum istiusmodi Academicorum celebritatibus peculiariter inseruire solet) longo platearum pulchrè patentium circuitu, Principes singuli singulis curulibus pompâ regiâ deducuntur, relinquentes (post Quadrivium superatum) duo, ad lævum plateæ diverticulum, Collegia; alterum *Cambro-Britannicum*, *Iesu* nomini consecratum; alterum *Lincolniense* dictum, præclarum *Richardi Flemming* & *Thomæ Rotherami* Episcoprum Lincolnt

Lincoln: opus quo vix aliud cocinnius, aut pro tantula magnitudine elegantius: quod felicibus auspicijs, à nijs Præsulibus positum, optimorum ingeniorum laude jam inde semper viguit, & nunc floret maximè. Ea Divæ Virginis Ecclesia à foro Quadriviali versùs portam Civitatis orientalem, ad lævam medio fere intervallo, loco, ad vsum (centrum enim ferè est omnium Collegiorum) amplitudine, ad capacitatem, structurâ, ad dignitatem (vt par erat) commodissime sita est. Ejus nulla pars est quin ad Academiæ negotia obeunda peculiarem sui vsum ministret. Navis Ecclesiæ (vt quæ capacissima) & assiduis concionibus deservit, & annuis (quum illustria *Graduum Academicorum* Insignia conferuntur) [m] *Co-*

l *Mense Iulio quotannis tridualis est illa comitiorum celebritas.*

m *Sic veterum Romanorum more appellant Oxonienses, Anglice tamen* Acte, *quod vtcunq; ad gradus ante designentur, eos tamen actu & complete non assequantur,*

nisi in comitijs. Celeberrima Cantabrigia *maluit vti Gallica voce* Commencement. *vt satis liqueat eam ad Aurelianensis studij exemplum per Gallicos Monachos primo formatam: vti testatur veteris ad Ingulphum appendicis Autor. Petrus Blesensis, &* Camb. in Cantabridg. *Hoc etiam in gratiam illustris studij* Aurelian. *addam. Illud 300, prope annis antiquius esse, quam a* Middendorpio *fertur, qui excitatum dicit à Philippo Pulchro 1312. quum Hen. 1. (cuius tempore constat Monachos istos* Cantabridg. *Academiæ fundamentis primis*

mitijs

mitiis Quorum ea frequẽtia, sive spectemus *Candidatorum* multitudinem, siue eorum qui ex remotissimis Regni partibus omnium ordinum innumeri illuc confluunt, sive exactissime in omni disciplinarum genere γυμνάσματα, vt totius regni habeatur celeberrima [n] πανήγυρις Ala (aut si mavis remigium) Navis, boream spectans, Cancellarij Vniversitatis *Tribunali* celebratur, cui, beneficentiâ Principum quorum singuli cum succederent prædecessores suos aliquo priuilegij additamẽto superare contenderunt) tantæ indultæ sunt immunitates, vt non modo omnium [o] *Academicorum*, eorùmq; famulorum causæ quibuscunque controversæ ibi transigantur, sed nec eorum cuiquam ad aliud [p] quodvis regni Tribunal dica intendi possit ne in [q] cædis quidem, aut proditionis causa, si *Academia* rei iudiciũ sibi vẽdicârit, Chorus

iaciendis, imitatos esse formam studii Aurel) mortuus sit ann. 1135. Sed videtur Phil. Pulcher Justo Vniversitatis privilegio primo donasse Scholam parvis ante initiis nixam.

n *Nihil habet terrarum orbis in eo genere aut ritu solennius aut ad speciem pulchrius inquit de comitiis Oxon. Fierbertus.* o *Chart. Hen. 3 anno reg. 28 Mai. 10. & Ch. regum aliorum.* p *Chart. Hen. 4. anno reg. 2. Maii. 13. vbi permittitur Cancellarii voluntati an modus procedendi esset secundum leges Regni, vel consuetudines Vniversitatis.* q *Chart. Hen. 4. anno, reg. 7 Iun. 20.*

(quæ

(quæ pars Eorum spectans) peculiaris est publico Academiæ Concilio, quod *magnam Convocationem* dicitur, quâ, Præside Magnifico Cancellario, ejusve Procancellario, *Theologiæ, Medicinæ, Iurisprudentiæ* Doctores, *Artium, Magistri*, quotquot in Academia, in vim juramenti ad negotia Vniuersitatis maxima, si quæ occurrant, obeunda conueniunt, graduum insignibus ornati. Cui versus Septentrionem adjacet *Domus Consilii minoris*, quod *Congregatio Magistrorum Regentium dicitur* (Candidati enim primo biennio Regentium titulo honorantur) quorum censurâ, & quotidiana Academiæ negotia expediuntur, & eorum qui ad Graduum honores aspirant, scientiæ, mores, merita, exactissimè, idq; sub perjurij plurimorum periculo, expenduntur. Ad Chori intergerinum Principibus Basilica exquisito splendore & aulæis fulgentibus apparatur, ita vt ejusdem

r *Quia non Campanæ modo pulsatæ signo sed Bedellorum etiam denuntiatione singulis Collegiis ter repetita solenniter admonetur, cum Cecilia minora Magnæ Campanæ tantum monitione indicantur.*

Merito taxabat Fulvium Cato quod is teuissimis de causis coronas militibus daret, quæ nisi capto oppido dari non solebant Gell. li. 6. c. 6. Vtinam omnes Academiæ in laureis suis conferendis idem considerarent. Nam (vt ille de Adriani indocto scribit) potest Cæsar honorem dare Rhetorem facere non potest. Dion. in Adrian.

com-

Principi, ceteriſq; ſpectatoribus' vniverſis mirificè dixero placuiſſe, id tantum dixero, quod Regina, Princeps, & vniverſi ſpectatores & magnificorum applauſu præ ſe tulerunt, & etiam dum mirifica laude conteſtantur.

Quanquam quid fluxis iſtis voluptum gloriæq; nominibus fatuus capior? quum nemini ſit iniucundius infortunia pati, quam felicitatis apicem expertoraut quid *Arcadiæ Viopicæ* gloriam reſtitutam iactem, quum Iſiacę Arcadię gloriam meráq; voluptatem abeuntem contueor? Sic omnia humana poſita ſunt in theatro, Comœdiâq; lætitiæ noſtræ finitâ breviuſculâ, Tragœdia, luctuſq; imminens Academiam expectorat. Si enim *f* majores noſtri meritò lugendũ cenſuerunt, planctúq; cœlum concutere, quum Solis, Lunæve vultum lucidum evaneſcentem cernerent: quãtus nos manet dolor, qui Solé, Cynthiâq; & Iulio lucido ſydere, nobis ſplendoris ſui præſentiam jamjamq; ſubducturis, eò gravioribus tenebris obruemur, quò præcellentiori luce circumfulſimus? At ſiſtite deliciæ noſtræ, ſiſtite, quam diu nos non ingratos, non inofficioſos hoſpites cenſueritis,

f Germanis hoc eſſe ſolẽne narrat Boemus.

ritis, tam autem diu si manseritis, hic æternùm manebitis. Sed qui istos majorum luctus pij imitamur, eorum superstitionem frustrà experimur? Lux enim nostra planctibus revocari non potest, nec quicquam nobis restat, nisi, vt quam lucem ipsi videre non possumus, eandem alijs, qui possunt invideamus.

Serenitas ergo Regia jam abituriens, magnifico Academiæ Cancellario advocato, verbis clementissimis quàm omnia quatriduo hoc Academiæ officia acceptissima fuerint, indicabat, quantâq; eam amoris propensione amplexurus semper sit. Quod, vt etiam Academici intelligerent, statuisse se aliquod propitiæ, gratiosæq; voluntatis suæ indicium apud ipsos eorumq; posteros relinquere: dictóque, magnificam, veréq; Regiam donationem manu tradit, quâ ad Professoris in Theologia Regij dignitatem omni ævo augendam, ornandamq; illustrem fecit accessionem, concesso prædio Ecclesiastico *Ewelmensi*, & Præbendâ etiam in Ecclesia *Ædis Christi*, perpetuò annexâ. Quæ vtraq; Regio etiam stabilita diplomate (id enim virtute doctrinâq; spectatissimus Eques *D. Thomas Lake*,

de

de Academia nostra multis nominibus optimè meritus, curaverat expediendum) Cancellarius Regem abeuntem insecutus, Sacræ Maiestatis jussu, pereximio tradidit Procancellario; qui tum, cum reliquo insignissimo purpuratorum ordine, alijsq; viris ex Academia lectissimis convenerat, vt publicas Academiæ nómine, eásq; immortales gratias Regi jam discessuro agerent pro ineffabili clementia, quâ Academiam anteà impensissimè devotam, recentibus jam beneficijs æternùm devinxerat. Quibus vniversis longo ordine, quasi beneficiorũ pondere ad terram depressis eóq; humiliùs toto corpore prostratis, quo possint tantæ beneficentiæ altitudinem suppliciùs suspicere, interpretem voti publici egit *Hammerus*, alter è Clarissimis Academiæ Procuratoribus, qui pressâ, politâq; oratione immensa illa, & planè divina bonitatis Regiæ Τεκμήρια celebravit: *Quòd Augustissimus Rex celebritatem Oxoniæ (quâ, vt Atticam, nonnulli, τῆς ἑλλάδος ἑλλάδα, sic Academiam Academiarum pridiè appellaverat,) & iam tum magnificentiâ verè Regiâ in Academiam effusâ, & quatriduanâ præsentiâ suâ, quasi aureæ tubæ sonitu, per vniversos orbis Christiani angulos*

gulos illustrem, mirabilisque effecerit. Quorum magnitudine beneficiorum, egregiè se felices Academici meritò indicarent, quibus talis tantusq; bonarum Artium Patronus, & literaria gloria quasi alter Atlas divinitus obtigerit.

Nam spes & ratio studiorum in
Cæsare tantùm est,
Solus qui tristes hac tempestate
Camœnas,
Respexit.—

Sed quò maior iam fuerit aut benignitas Regia, aut felicitas Academica, eò magis rubore suffundi virgineas Musarum genas, seq; animis diserutiari, quam excussis omnibus facultatibus, in semetipsis reperirent nihil, quod tantæ, tamq; Præcellenti Maiestati pro tanto meritorum cumulo piè rependerent. Sed frustrà angi se, quod rependendo non sint, quii tanta munera nec prædicando satis sint, at nec cogitando, se tamen æternâ cum veneratione, & cogitaturas, & prædicaturas, vt & posteri, & exteri mirabundi intelligant. Regem, cumq; totius Europæ potentissimum, ac quod magis est, literatissimum, quòdq; hæc omnia superat, religiosissimum, (veluti pium Æneâ,

—Cui juxtà aderat Lavinia cõjux,
Pulcher & Ascanius, nostræ spes altera gentis.)

tot Regni sui partibus cum incredibili civi-

um lætitia peragratis, nihil tamen libentiùs quàm Academiam vidisse;

Nec vidisse semel satis est, juvat vsq; morari,

& ibidem in publicam literarum palæstrâ prodijsse, audivisse attentè, & quod maximum est, in maxima hominum doctissimorum corona, tam sapienter, & acutè, tam Atticè, & venustè locutum fuisse, vt non aliam ob causam discipulos Deorum, non alios quàm Reges ab Homèro *dictos fuisse iudicandum, quàm quòd sine divino aliquo præsentis numinis afflatu rarò extiterint. Ac ne tantæ Maiestatis splendor, qui in maximis istis maximè fulsit, Academiæ vel in minimis deesse videretur, tam candidè libentèrq; etiam ludis, & ludicris interfuisse, vt qui (quod olim* Plinius *de suo* Vespasiano) semper soleret nostras esse aliquid putare nugas. *Quibus nominibus, Musas, iam tum ad sacratissimos pedes Regios suppliciter devolutas, & prostratas, primùm humillimè orare, vt quum nihil in se habeat Academia, quod Regiæ Celsitudini non sit consecratum, id omne, quantulumcunq; demum fuerit, vel sui gratiâ, & eò quòd suum sit, æqui, honiq; consuleret. Deinde & Regi gratias immortales agere, & immortali Deo pro salute Regia preces ardentissimas effundere, vt vbicunq; sit, ibi salvus sit, per quem nos omnes, vbicunq;*

cumq; sumus, salui sumus, & beati, eò tamen beatiores futuri, quo frequentiùs beatissimum Regem hac reducem contueamur, támque diu beatas fore Academiam, Ecclesiam, Rémq; publicam, quamdiu

Hæc domus æneæ cunctis dominabitur oris.
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.

Quibus succinctè discursis (nam nec opus erat multis verborum contestationibus, ad faciendam Regi fidem illius gratitudinis, quam anteà perspectissimam, indubitatissimamq; habuisset) benignissimus Rex, vt Regio amoris symbolo, priori beneficentiæ suæ extremam quasi manum discessurus apponeret, Procancellario illustri, reliquisq;, quos dixi, clarissimis Academicis, honorificum Regiæ manus osculum impertit; vnàque pro sua singulari in eos indulgentia, monet, jubetq; ne molestiam susciperent vsq; ad limites Academiæ (quod ex officio vbivis fieri solitum est) Ipsum deducendi, sed in magna area Collegij, vbi tum erat, ipsum cum Regina, Principéq; filio, Deo, itineriq; permitterent. Itaq; quem præsentiâ corporu obsequiosâ comitati non datur, eum, quàm diu

datur, oculis, vocisque acclamationibus sequantur: quumq; id non datur, gratitudine pro beneficijs, precibus pro salute, plausibus pro discessu præpropero voris pro reditu festinato prosequuntur.

FINIS

TAmetsi potentissimi Regis discussu, mirabilem felicitatis, & quasi capitis diminutionem passa sibi videretur Academia; erat tamen causa solatij æquissima quòd omnibus iudicijs intellexerant officij sui studia studijq; officia omnia, omnibus acceptissima fuisse. Neq; certe in minimis ducebant quòd magnificentissimi Cancellarij expectationi, cujus voluntati post Principes imprimis satis facere satagebant, ita cumulate respondissent, vt eius amplitudinem in solita lætitia perfundere viderentur. Quod cum ipsius Magnificentiæ, non modò ante discessum, numerum plurimorum donatione, sed literis etiam ad Eximium Procancellarium Dominum *Georgium Abbot* mox missis indicare placuisset, censui etiam æquissimum, in testificationem singularis illius Amoris, quo Academiam semper impensè amplexus est, literarum ipsarum exemplar subiungere.

EN tibi (Domine Procancellarie) vna cum hisce ad te literis, alias ad Illustrem Equitem Dominum Henricum Leaum transmittendis, quibus curavi Cervos, eosq; notæ præstantioris tradendos, quo loco atq; tempore, ipse, simulq; reliqui Generosi Tragœdiarum Comœdiarumq; Actores commodissimum censebitis. Pergratum mihi feceris, si ab iis meo nomine impetraris vt illud, quicquid sit munusculi, vta cum octoginta aureis, quos Dispensatori meo statim vt numeret, in mandatis dedi, æqui consulant, & ingenuæ Genialis Conviuij hilaritati, meâ causa impendant. Quorum operâ cum mente recolo quam intimo solatio perfundebantur, Serenissimæ maiestatis, Reginæ, Principis, Nobilitatis vniuersæ, omniumq; auditorum pectora, fateor equidem, me nec satis posse dicere ad eorum laudem, nec mihi satis facere in meo erga eos amore, propter eorum benemerita singularia. Eos tamen impense rogatos velim, vt ingentis lætitiæ meæ testimonium hoc non ingens ita accipiantq; interpretentur, vt vna intelligant, non posse me non collętari in tanta tamq; communi lætitia eorum reliquorumq; Academicorum, quorum omnium gymnasmata, studiaq; optatissimo successu fructus tam felices, tam honorificos, nobilissimæ isti Academiæ pepererunt.

Nec

*Nec aliud iam deinceps in votis quotidianis*q; *precibus potius habiturus sum, quam vt istiusmodi fortunatissimo successu, nobilissima ista Academia & vniuersim & viritim æternum potentur: Cui quicquam sum, me totum voveo, meosq; conatus omnes religiosè despondeo, quibus aut publicæ eius vtilitati inservire, aut eiusdem gloriam promovere potero Deniq; me summè felicem duco, cui tantus honor obtigit, vt vester audiam Cancellarius, quoq; hoc tempore tam felicibus astris mihi in Præcancellarium delegerim, cuius de benemeritis, quia satis dicere non possim, dicam nihil.* Vale.

Thomas Dorset.
Cancell. Oxon.

ORATIO FVNEBRIS

habita in Templo beatæ Mariæ Oxon.

Ab ISAACO WAKE,

PVBLICO ACAdemiæ Oratore, Maij 25. An. 1607. quum mœsti Oxonienses, pijs manibus IOHANNIS RAINOLDI parentarent.

OXONIÆ,
Excudebat Iohannes Lichfield Academiæ Typographus,
1627.

ORATIO
FUNEBRIS

Habita in Templo
pro decessu Illu-
stris Oxon.

ABISSACO VICARII,

PUBLICO Ac-
clamatore, Maij
25. An. 1607. quum
magistri Oxoniensis,
pijs manibus Io-
HANNIS RAI-
NOLDI
sacra
fierent.

OXONIÆ
Excudebat Iohannes Lichfield
Academiæ Typographus.
1608.

ORATIO
FVNEBRIS.

Vàm fragilis sit, & incerta humanæ vitæ conditio quam somno aut fabulæ similis, vtinam, (Viri Ornatissimi & mœsti vndequaq; Academici) modò superi voluissent, aliunde potius, quàm ex præsenti spectaculo disceremus. Scilicet senescentis quidem mundi, & ad occasum jam præcipitantis, satis multa superq; vidimus indicia; Intemperiem cœli; malignitatem stellarum; ventorũ turbines, nubium Cataclysmos, maris fluctores non ante cognitos, quæ dira omnia, pias mentes, horrere ruentis cœli, & expirantis Naturæ perterrefaciunt. At *Musæ* tamen æternas, & reliquis labentibus

omnibus

omnibus, *Artes* immortales fore, neſcio quo modo nobis ipſis adblandientes, facilè credidimus, donec magnus hic literarum Atlas, quocum literæ ipſæ ſanctiores naturæ certè videntur, ſi non occumbere, ſuo nos fato docuit, ſpem etiam illam vanam & inanem eſſe. Cujus ſortem beatam, pietate & moribus dignam ſuaviſſimis, abſit, vt flebilibus quiſquam deploret nenijs, cum nihil ſit quod illi vlterius optare vel avidiſſimus poſſit, niſi illam *Virginij Rufi* felicitatem, cui, tanquam cumulus acceſſit in funere laudator *Cornelius Tacitus*. Mihi verò (*Academici*) veſtrã hanc intuenti, alias gratam & jucundam, nunc autem, pro occaſionis ratione, flebilem & triſtem frequentiam, ita in mentem veniunt illæ Regis *Xerxis* lacrymæ, quas ad conſpectum exercitus

audimus

exercitus numerosi fudit, vt nõ possim quin intimis suspirem præcordijs, cum in præsenti speculo, mortalitatis etiam vestræ videam imãginem. Quis enim est qui doctrinæ, sapientiæ, virtutis fiduciã, spem vitæ in longinquum extendere ausit, cum difficiles Parcæ, & non exorandа numina, hunc tantum Orthodoxæ fidei Herculem, & Christianæ religionis Propugnatorẽ, nec matris *Academiæ* lacrymis, nec lugentis *Ecclesiæ* importunis precibus voluerint condonare. Certè si inæstimabiles illæ mentis opes & non interituræ animi diuitiæ, ad corporis etiam firmitatem & vigorem aliquid facere, aut quomodocunq; derivari potuissent, vixisses *Reinolde*, nec tam ex voto tuo, qui cœlum voluisti, quàm ex nostro, qui te, vixisses ita, vt nunquam moreretis, senescere-

nescires, egrotares. Atqui magno humani generis dispendio, contrariâ ferè ratione vsu venire solet, vt quò magnificentius quis, & illustriùs divinis literarum & sapientiæ ornamentis animum excoluerit, eò citiùs, adeóq; etiam festinantiùs, & mens ipsa terrestris pertœsa domicilij sublimiora cogitet, & corpus itidem, omnia iam spiritu in nobili illo, sed tamen laborioso studiorum opere, exhausto plane & absumpto, fatiscat, ac deficiat. Quæ nimirum res in causa fuit, vt tu *Rainolde*, tot secundis prelijs literarum omnium victor & triumphator, accisis tamen corporeis viribus, exhalares gloriosam animam, nosq; in luctu & orbitate mœrore confectos distitueres. Quid autem? Non telebentem tua plurima pietas, non virtus, non sanctitas, &

eru-

eruditio ad miraculum ingens
servare potuit? Scilicet an quia
nihil erat quod vltrà disceres,
ideò vlterius ne vivere voluisti;
An non dignus inter ceteros *Fa-*
cinus, quem aliquando evolu-
eres, qui de sanitate tuenda, &
vitâ in æternum prorogandâ
differit? Satis vixisti tibi ipsi;
esto: satis gloriæ tuæ, cui tamen
supervivere non potuisses: At
non Reipub. satis, quæ probita-
tis & virtutum omnium exem-
plar in te positum desiderat;
Non Academiæ, quæ eruditio-
nis jam extinctum requirit lu-
men; Non deniq, communi
Religionis causæ, quæ te orba-
ta Duce, in medio procelloſi
maris non sine naufragij perícu-
lo fluctuat. Equidem quòd al-
ter fortiórq; *Cœles* ingruentes
hostium infensissimorum cater-
vas princeps repulisti; quòd ex-
cisa, cui insisteras, ponte subli-

cio

cio, tamen salvo scuto desiluisti, rem abs te præclarissimè gestam nemo negaverit: rejecisti siquidem perduelles, at verò nondum soluto est obsidio; esto enim quod Romanam *Idolomaniam* detractâ larvâ, Dei hominumq; odio exposuisti, quòd jugulum *Antichristiani* monstri incepisti petere; quod per *Harti* latera ipsum *Cor* Papismi transfixisti. At *Sanderus* tamen adhuc intactus, nisi quòd Dei vindicem dextram, in montibus Hibernicis, erto profugus expertus est, *Bellarminus* non satis fractus; *Baronij* nec omnes detectæ fraudes; vt taceam nova, quæ huic Hydræ quotidie repullulant capita. His tantis in negotijs quomodo vacabar tibi mori? Cum tam ingens messis & operarij sint tam pauci? Tui similes tam nulli? Cum vndiq; superstitio instar maris nostri

stri *Virgivij* novis exundet fluctibus?

Est ista lamentantis *Ecclesiæ* lugubris vox, quam ex acerbissimi doloris sensu tam flebiliter sonat, ac si ipsa etiam cum Rainoldo animam egisse videretur. At matris *Academiæ* mœstiorem adhuc vultum, & tristiorem faciem (si tristior cogitari possit) quis demum *Timanthes* exprimendo erit?

Hic vicerunt lacrymæ. Niobe quibus obruta mater.

Nihil hæc nisi *Rainoldum* cogitat, *Rainoldum* videt, *Rainoldum* vanis imaginibus audit alloquitur, tenet. Et certè (*Academici*) licet felicissimæ huic nostræ parenti tanta sit præsenti hoc seculo, tamq; numerosa doctissimorum virorum soboles, vt suam sibi potiùs gratulari fœcunditatem, quàm præsentem debuerit orbitatem lu-

gere,

gere, eamq; Matris *Brasidæ* vocem nunc certè, si vnquam, vsurpare, *vir bonus est Brasidas & fortis, sed habet multos Sparta similes*: non possum tamen, quin ejusdem pijs lacrymis, & justo huic dolori veniam facilem concedam, cum cogitem *Reinoldum* amisisse, qui (absit dicto invidia) reliquis suis filijs tantùm præluxit, linguarum diversissimarum excellenti peritiâ & artium scientiarumq; omnium perfectâ panopliâ, vt supra humani ingenij fastigium positus videretur, natusque in quo omnes Musæ suas omnes vires experirentur. Nemini (Auditores) detraho, dum debita *Reinoldo* persoluo: nec hujus justis, scio, laudibus invidebunt vel patres reverendi, qui domi hanc nostram Oxoniam suâ exornant gravitate, doctrinâ, pietate; vel Illustrissimi illi pietatis

tis & literarum *Antistites*, qui ad clavum Ecclesiæ adsidentes, prudentiæ, sanctitatis, & eruditionis stupenda specimina universo orbi exhibent Christiano. Quibus maximis *Academiæ* & *Ecclesiæ* luminibus, si quis *Reinoldum* hunc nostrum tantò meritis minorem judicet, quantò publicâ dignitate, & forensi minùs resplenduit fulgore, recognoscat is velim illud *Augustini*, Episcoporum maximi, de *Divo Hieronymo* eulogium; *Quantumvis Episcopus Presbytero superior, ut Hieronymus tamen Presbyter etiam Augustino Episcopo major*: & vtvt alij in hoc nostro mirentur scientiam, humilitatem, abstinentiam incredibilem, quæ omnia in illo (fides numinum!) plus quam mira fuerunt; ego tamen hoc vnum stupeo, miraborq; semper, gloriam illum & honorem calcare

care

care potuisse. De quo tametsi illud non dixero, quod de *Lutthero Illyricus* & *Wigandus*, quē *Germanicum Prophetam* appellârunt; tamen cum nihil sit vel in *Lutheri*, vel *Calvini*, vel *Bezæ* aut *Whitakeri* laudibus, quod non suo merito sibi ipsi *Rainoldus* vendicet; gratulabor ego quidem huic nostræ *Patriæ* quòd eduxerit, matri Academię quòd educaverit, & seraciſſimo illi bonorum ingeniorum *Collegio*, quòd lactaverit *Rainoldum* quem (vt cum domesticis suis illum comparem) virtutis, pietatis, & eruditionis commēdario supra ipsum *Iuellum*, *Wottonum*, *Vvoem*, *Hookerum* elevavit, supraq; *Polum*.

Eat autem [a] *Westonus* impurus & impudicus rabula; eructet quæ volet covitia, dicat ingenij tarditatem, dicat simulatos *Rainoldi* morbos plumbei

[a] Weston in scurrili *præfatione ad libros de Triplici hominis officio.*

plumbei scilicet fulmus, (*Academici*) qui tam habetis ingenium suspeximus, deliri, qui ægrotâsse credidimus, quem (proh dolor) mortuum videmus. Quanquam nec *Westonus* ipse [b] *Patrui* sui, quem ita iactat, & [c] morum, & fugæ turpitudine similis, cum Principes Academiæ nostræ ita lacesseret, vt etiam qui matrimonium cõtraxissent, quasi sceleratos homines nominatim perstringeret habuit vel vnum aliquod factum, quod in omni vita sanctissimi huius viri reprehenderet.

At ille longiùs aberat: quid qui steterunt propiùs? Amârunt omnes horum em, amârunt mores & integritatem. Quòd si obstinata severitas, & invictus adversus gratiam animus, in vitio verti poterant, aut si quid aliud (quid autem potuit?)

b. Doctoris *Westoni*, qui è Collegio hic nostro Lincoln. propter in famem libidinem expulsus.

c Nam & ejusdem nefandi flagitij, *Duacensis* hic etiam *Professor* reus, (ni fama lemper mendax) deprehenditur.

it?) sed si quid potuisset in eo improbari, næ crimen illud honestum citiùs, quàm *Reinoldus* turpis efficeretur. Sed ille nunc feliciter agit inter Angelos, nos verò qui magnos optimi sapientissimique viri manes veneramur, beatam tum demùm *Oxoniam* pronuntiare non dubitabimus, quando parem similémq; in huius locum surrogaverit. Habeamus enim, quos summa eloquentia, infinita lectio, sublimitas ingenii, iudicii gravitas, virtus, humanitas, candor, eaq; omnia scriptis egregiè monumentis, quam maximè commendent, *Reinoldum* certè non habebimus. Ac quid ipsum loquor? Cuius tanti viri, iam nunc Sepulchrum, heu tantillis inhiat reliquiis, quas hodiè postremùm cernimus, salutamus, valere iubemus.

Postremum

Postremum (inquam) *& postea non vnquam amplius.*
Mihi verò vt (quod vnicum restat) efferri iubeam,
--Non lingua valet, non corpore nota
Sufficiunt vires, nec vox, nec verba sequuntur.
Itaq; Sophoclea mutuabor,
--agefis, quisquis amicus
Ades hic praesens, propera, curre,
Impende viro summo officium.
Ac nemo quidem, queis loquor, horum
Rainoldo fuit melior vir.

FINIS.